475.9
H67q

UNIVERSITY OF ILLINOIS
LIBRARY

Class Book Volume

475.9 H67q

Dittenberger Library 1907

Ap 08–5M

QUAESTIONES GRAMMATICAE
DE CONJUNCTIONUM TEMPORALIUM USU APUD HISTORICOS ROMANOS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

OTTO HOFFMANN

SAXO-BORUSSUS.

HALIS SAXONUM

MDCCCLXXX.

475.9
H67q

6 F II N. 0.

Praefatio.

Periodorum temporalium ratio postquam nostro demum saeculo ita tractari atque inquiri coepta est, ut aetatem optimarum artium studio diligenter inservientem decet, cum in dies clarior reddita, tum difficillima esse cognita est. Quod cum ita sit, operae pretium putavi et ea, quae homines docti recentioris aetatis de quaestione illa scripserunt, perlustrare et inter se comparare et rationem, quam sequendam existimavi, exemplis probare.

Affero autem exempla desumpta ex argenteae, quam vocant, aetatis historicorum libris. Addidi Sallustium, quippe qui multis in rebus illorum optimi, Taciti, similis sit.

In Sallustii libris complura exempla inveni, quae Dietschius in indice editioni suae adjecto non enumeravit. Ad Taciti vero exempla a Gerbero (progr. Glueckstadt 1874.) diligentissime congesta vix unum vel alterum addere mihi contigit. Sed in disponendis exemplis interdum a ratione ejus recedendum putavi.

Denique in afferendis locis hasce secutus sum editiones: Sall. Dietsch, Vellej. Halm, Valer. Halm, Curt. Hedicke, (Muetzell), Tac. Halm, Suet. Roth, Flor. Jahn, Just. Jeep.

In exemplis Suetonii prioribus numeris indicantur capita, posterioribus versus paginarum editionis Rothii. Flori exempla non capitum, sed Jahnii paginarum numeris citavi.

172027

§ 1.

De conjunctionum et periodorum temporalium doctrina.

Duae potissimum res ei, qui de particulis temporis scribit, tractandae sunt: primum enim quaerendum est de origine vel de compositione earum et de significatione primaria, quae ipsa origine vel compositione efficitur; deinde disserendum de usu particularum, in quo primum illud quaerendum est, num eam vim, quam pro origine sua habere debent, servaverint, deinde quibus legibus usus temporum et modorum in enuntiatis temporalibus circumscribatur. Sed cum olim, cum hanc quaestionem inchoabam, priori parti multum tribuissem meque iis, quae ab hominibus doctis de origine particularum scripta et inventa sunt, magnopere adjuvari ad melius perspiciendum usum earum existimarem, mox postquam ad ipsam rem accessi, me erravisse intellexi. Nihilo autem minus, cum semel in illam quoque quaestionem incubuerim, quae ad eam pertinent, constitui proferre, ea maxime ratione commotus, quod operae pretium videbatur, quaecunque de ea re scripta sunt, in unum congesta ante oculos proponere.

Multi autem de usu harum particularum vel omnium vel singularum scripserunt. Qua in re cum significatio conjunctionum et usus temporum modorumque artissime inter se conexa sint, illud maxime quaeritur, quibus regulis hic constituatur.

Ad hanc quaestionem solvendam oportet et de temporibus nonnulla praemittere et modorum naturam definire. Formarum igitur verbi duo sunt munera: primum enim indicant, in quo tempore res aliqua versetur, utrum jam praeterita, an praesens an futura actio sit, deinde exprimunt, qualis suo quaeque tempore actio sit, utrum in eo sit, ut initium capiat, an in agendo versetur, an perfecta atque jam ad finem producta sit. — Ex modis autem indicativus indicat rem aliquam vere esse vel fieri, conjunctivus rem non esse sed cogitando fingi. Jam cum natura ac vis temporum et modorum ex usu constituta sit, necessario ita

censenda sunt ubique adhibita ea esse, ut naturae suae constent. Nihilo autem minus multi loci apud omnes scriptores inveniuntur, in quibus, cum a ratione recedere videatur usus — praecipue modorum — multae nobis offeruntur difficultates. Imprimis conjunctivus modus saepissime ita usurpatur, ut de ratione, qua positus sit, paene desperandum esse videatur. Quae difficultas in nulla particula magis obvenit quam in particula ‚*quom*'. Quo factum est, ut de ea potissimum a multis quaestio instituta sit, atque id recte, nam in ea totius quaestionis summa posita est. Itaque de hac re jam accuratius dicamus.

Sententia vulgatissima eaque, praeter quam diu nulla alia prolata erat, haec est, ut dicatur ‚*quom*' temporale secum habere indicativum, ubi nihil nisi temporis determinationem indicet, („als reine Zeitpartikel") conjunctivum, ubi non modo tempus, sed etiam interiorem vel artiorem rerum nexum significet. Is autem qualis sit, omnino intelligi non posset, nisi suspicari liceret, quamquam non omnes claris verbis, quid sentiant, exprimunt, tamen eos putare quam proxime illum accedere ad notionem causalem vel plane idem esse. Hujus sententiae defensores extiterunt omnes fere qui in usum scholarum grammaticas conscripserunt, sicut Zumptius (§ 378, sqq.) Ellendtius (§ 265.) Madvigius (§ 358) alii. Magis mirum etiam est illud, quod G. T. A. Kruegerus dicit (§ 625,2.), scriptores Romanos, etiamsi nexus causalis sententiis non insit, tamen res ita narrare, quasi insit; tali autem narratione conexum rerum artiorem fieri. Quare autem Romani narratione tam absurda usi sint, hoc Kruegerus non affert, ni fallor, quia non potuit. Similiter Putschius (lat. Grammat. Jena 1866, § 107, A. 1), Weissenbornius (lat. Grammat. § 453, b. Synt. § 225,3.), Reisigius (lat. Vorles. § 306,3.) Gossraus[1]) (lat. Grammat. § 417,4.) Itaque cum illi rationem causalem re vera sententiis

[1]) Verba Gossrai sunt haec: In allen diesen Beispielen ist allerdings auch die Zeit bezeichnet, aber zugleich auch Grund und Veranlassung, und so pflegt der Lateiner in Erzählungen, in denen ja der Erzähler den Zusammenhang der Begebenheiten, also den Grund der Ereignisse nach seiner Auffassung

inesse vellent atque hanc ipsam conjunctivo exprimi similiter atque iis locis, quibus ‚*quom*' sit particula causalis, hi conjunctivum non nexu causali effici volunt, sed ea re quod scriptores eum esse fingant: spectant igitur ad naturam conjunctivi, quo id significatur, quod mente fingitur. Sed cur scriptores enuntiato temporali etiam causam afferri velint, hoc non exposuerunt.

Hi omnes cum in sententia temporali causam, qua efficiatur actio in sententia primaria narrata, aut re vera esse aut a scriptoribus fingi dicerent, nihil novi ad difficultatem solvendam contulerunt. Id primus fecit Fabianus. (Progrr. Königsberg 1844. Tilsit 1850.) Qui conjunctivum ‚*quom*' sequentem eundem esse voluit atque eum, qui adhiberetur in enuntiatis per pronomen relativum incipientibus. Sicut in his sententiis etiam in temporalibus conjunctivo scriptores describere dicit aut rationem causalem aut consecutivam aut concessivam. Alii, sicut Groehius (de usu Terentiano particularum temporalium, Vratisl. 1867) solam consecutivam vim conjunctivo vindicaverunt, quippe quo indicaretur ‚actionem enuntiati demonstrativi evenire eo tempore, quod haberet eam qualitatem' —.

Deinde Lattmannus et Muellerus in grammatica sua docuerunt conjunctivo uti scriptores, ut significarent, quid sibi ipsis levioris momenti videretur. Res enim levioris momenti contineri enuntiatis secundariis; itaque si scriptor facta in illis relata sua quidem sententia minus esse gravia diceret, recte eum uti conjunctivo ad reddendum id apto, quod quis esse cogitatione fingit.

---

angeben muss, die Subjunctive zu setzen, wo wir im Deutschen den Indicativ mit ‚als', ‚da' gebrauchen. Er wird immer die Ereignisse zusammenstellen, wie sie nach seiner Meinung ursächlich auf einander gewirkt haben. His verbis contineri sententiam ab iis, quas adhuc enumeravi diversam, i. e. Gossraum causam conjunctivi non ex nexu causali a scriptore ficto repetivisse, sed pariter ac Lattmannum et Muellerum (de quorum sententia paulo infra disseretur) contendere conjunctivum ad ‚*quom*' appositum exprimere rem enuntiati temporalis esse levioris momenti: haec omnia quomodo perlectis Gossrai verbis statuerit Ed. Luebbertus (gramm. Studien II, p. 13.) equidem quam maxime miror.

Quarum omnium sententiarum nullam possumus probare. Nam et iis, qui causam, et iis, qui qualitatem in enuntiato temporali subesse voluerunt, obstant pleraque exempla, quibus aperte nihil nisi temporis definitio continetur, eademque talia, in quibus a scriptore ejusmodi rationes subesse statui vel fingi minime potest concedi. Omnino parum probabile mihi videtur in iis sententiis, quibus tempus alicujus facti statuitur, quidquam aliud locum habere, quam quod ad temporis definitionem pertineat, praesertim cum sescenti extent loci, qui, quamquam sine dubio mera temporis determinatio in iis est, tamen conjunctivum praebeant. Ad hanc autem nihil interest scire, num factum tempus alterius facti determinans simul sit causa hujus, aut quale sit tempus, aut utrum res secundaria levioris sit momenti quam primaria necne.

Transeo nunc ad rationem ab his omnibus natura sua diversam, quam primus protulit Em. Hoffmannus. (Die Construction der latein. Zeitpartikeln, Wien 1860. 2. Aufl. 1873.) Is hunc fere in modum disseruit: Periodi temporalis cum ea sit ratio, ut actione enuntiati secundarii tempus denotetur et definiatur, quod obtineat actio enuntiati primarii, hunc ad finem non nisi ejusmodi actiones comparari posse, quae in idem incidant temporis spatium, ut vel in praeterito tempore utraque versetur vel in praesenti vel in futuro, ipsa rerum natura evincitur: nam alia temporis definitio a justa cogitandi ratione abhorret. Propria vero periodorum temporalium condicio ea est, ut actio enuntiati secundarii vel definitivi ea ipsa temporis forma proponatur, qua omnino ex natura sua etiam soluto sententiarum nexu pronuntianda est; atque composita inter se esse enuntiata ad cognoscendum vel definiendum tempus unius tempore alterius, hoc indicatur particula iis interposita. Qua nihil mutari de condicione eorum per se apparet; itaque eadem utrumque utitur forma grammatica, ac si per ‚*et*' adjectis ‚*simul*' aut ‚*tum*' inter se conjungantur, i. e. tali temporis forma, quae quoque loco apta est, et modo enuntiati directi, indicativo. Hujus rei argumentum est, quod cum ‚*postquam*',

quamquam actio enuntiati temporalis prior est quam demonstrativi, tamen non, quod expectari poterat, plusquam perfectum, (i. e. tempus, quo quid alio prius fuisse significatur) sed eae formae conjunguntur, quae suo essent loco, si pro ‚*postquam*' poneretur ‚*tum autem*', denique si enuntiatum temporale esset primarium: id est perfectum historicum factum exprimens, aut imperfectum vel plusquamperfectum logicum [2]) statum indicans. Jnde igitur perspicitur particulam ad eligendam temporis formam nihil valere atque aliquam rem altera prius evenire non temporis forma, sed ipsa particula — sicut per ‚*tum autem*' in sententia primaria indicari.

Jam altera periodi temporalis forma ea est, ut actio secundaria non ex sua ipsius natura grammatico quodam tempore induatur, sed ratione habita actionis primariae, ita quidem, ut significetur, ad quem jam perfectionis gradum pervenerit utrum jam coepta fuerit nec tamen finita, an jam perfecta eo ipso temporis puncto, cum actio primaria incidit. Ita si quis qualitatem actionis non absolute, qualis sit per se, describit, sed qualis sit, si spectamus ad actionem primariam, — i. e. adhibita condicione —: tum et temporis forma et modo hoc significari oportet; tum igitur pro temporibus absolutis ea supponúntur, quibus quid durare aut jam perfectum esse, quo tempore aliud incidit, indicari potest, imperfectum aut plusquamperfectum relative usurpata. Modum

[2]) Hic pauca inserenda videntur, ut cognoscamus, quid Hoffmannus de temporum natura et usu judicet. Falso, ait, existimari esse temporis formas, — impf. et plusq. — quae non nisi ad exprimendum tempus relativum adhibeantur Has quoque, quamquam saepius inveniantur relative positae, absolute usurpari, atque tum utroque denotari statum, qui olim obtinuerit: imperfecto statum actionis coeptae necdum perfectae, plusquamperfecto statum actionis perfectae. — De plusquamperfecto autem uberius dicit. Sicut perfectum, cujus sit exprimere rem plane perfectam nobis ante oculos versari, persaepe nihil dicat nisi rem aliquando accidisse (sicut aoristus apud Graecos), ita in plusquamperfecto duo esse genera usus: aut aoristice id dicere rem accidisse aliquando ante aliam, aut logice rem perfectam ante oculos esse vel potius fuisse — nimirum priore quodam tempore. In enuntiatis autem, inquit, temporalibus, cum tempus alicujus rei non nisi alia in eodem temporis spatio sita definiri possit, solum plusquamperfectum logicum suum habet locum, sive hujus ratio verbo inest, (consueverat = solebat, cognoverat = sciebat, cett.) sive adhibito conjunctivo potentiali mente fingitur.

autem haud difficile est intellectu non recte poni indicativum, sed conjunctivum, quem dicunt potentialem: nam quam qualitatem, qui loquitur, actioni secundariae tribuit, ei tribuit non propterea, quod actioni per se insit, sed quia ipse spectat ad initium actionis primariae, quia secundariam non objective sed subjective affert: enuntiati autem subjectivi modus proprius est conjunctivus.

Haec fere in universum Hoffmannus de usu modorum qui est in enuntiatis temporalibus, sagacissime exposuit. Deinde de singulis temporalis determinationis generibus verba fecit.

Atque primum quidem, si utraque actio in tempore praeterito versatur, sed ita, ut actio sententiae secundariae prius facta sit, hanc rem adhibito ex temporibus absolutis eo, quod quoque loco idoneum est, sola particula significari supra vidimus. Jam si — id quod modo exposui — nostra interest referre, quo agendi vel perfectionis puncto actio secundaria fuerit eo temporis momento, quo primaria incidebat, cum illa jam plane perfecta atque praeterlapsa sit, cogimur nexum actionum temporalem animo fingere atque pro tempore aoristice usurpato supponere tempus relativum, praeteritum rei perfectae; quo facto contigit nobis re vera ut rem incidente alia jam peractam ac praetermissam ita referamus, quasi nondum plane praeterlapsa esset, sed tamquam, perfecta quidem, extaret etiam tum, cum actio primaria incidebat. Hunc autem nexum nisi obliti sumus non nisi animo nos finxisse, non miramur adhibendum nobis esse modum conjunctivum. Hoc non magis valet ad particulam ‚*quom*‘ quam ad ‚*postquam*‘ aliasque ejusmodi. — Sin autem actio secundaria non prius, sed eodem tempore, quo primaria, fit, distinguendum est, utrum illa unius momenti factum contineat, an per se diuturnitatem vel statum designet. Si illud est, pro perfecto historico conjunctivus imperfecti relativi ponitur, quo actio videatur distrahi atque extendi usque eo, ut actionem primariam durante illa accidere atque ea circumscribi possit cogitari. — Sin quae res in enuntiato temporali narratur,

per se perpetuitatem quandam habet et propterea tempore imperfecto reddenda est, paulo difficilius est intellectu, cur hic quoque conjunctivus persaepe necessarius videatur. Sed cogitemus indicativum positum esse: quid eo indicatur? indicatur vel describitur eo tempus quod obtinebat, quo tempore res primaria accidit — hic nimirum status, non factum —. Saepissime autem actio secundaria, quamquam sine dubio semper praeterita est atque manet, talis refertur qualis cogitanda nobis esset, si subito locum ejus teneremus, qui actionem primariam efficit, non ejus, qui eam aliquando factam esse narrat. Tempus igitur actionis secundariae idem manet idemque refertur, quale re vera est; qualitas autem actionis et perficiendi gradus non qualis re vera est, refertur, sed qualis videtur ei, qui a loco agentis proficiscitur et ad id temporis punctum prospicit, quo actio primaria incidet. Quo fit, ut actio secundaria jam extans describatur atque primaria in medium illius decursum incidere videatur. Hoc modo actiones multo artius inter se conecti atque unam quasi altera circumdari — hoc per se apparet. Sed cum hoc narrandi genere res describatur non qualis est sed qualis cogitando fingitur, (cf. supra p. 5.) omnino non jam dubium est, quin nullo alio modo scriptor uti possit quam conjunctivo potentiali

Fieri autem potest, ut actio primaria plane idem temporis spatium amplectatur, quod secundaria, ita ut non modo simul incohentur, sed etiam simul finiantur. Quod si ita est, luculenter apparet, cum neque nexum temporis fingi necesse sit, neque altera actio decurrente altera initium capiat, hoc est, cum actiones paris sint gravitatis, nullam esse causam, cur altera alteri subjungatur, cur tempus relativum et modus subjectivus adhibeantur. — Haec fere Hoffmanni sententia est.

Quam se ita perfecturum et emendaturum putavit Ed. Luebbertus, (grammat. Stud. II.) ut historiam usus periodorum temporalium magis respiceret. Sed quamquam libro ejus cognoscimus, qui in hac re usus fuerit multorum scriptorum, imprimis, Plauti et Terentii, tamen ad doctrinam temporum

modorumque nihil novi discimus. Quod in rerum natura positum esse mihi videtur. Usus enim periodorum temporalium cum nulla alia re quam cogitandi legibus constituatur, non adeo potest mutari, ut rei natura vertatur. Itaque sicut Herderus ille, quamquam suo jure postulavit, ut in omnibus rebus ad intelligendam naturam earum respiciatur historia earum, tamen interdum quae Lessingius minus curans historiam rerum bene constituerat atque regulis circumscripserat, retractando perturbavit atque doctrinam ejus paulo obscuravit: ita etiam Luebbertus, quae Hoffmannus nulla relicta dubitatione exposuerat, minus clare retractavit et denuo demonstrare conatus est. Quod perspicitur et ex initio libri ejus (pp. 18—24.) unde elucet eum, quid Hoffmannus voluerit, non recte percepisse, et ex summario (p. 205—206.) aliquanto obscuriore. Inter ea autem, quae p. 156. Hoffmanno objicit, gravissimum putat, quod is non explicuerit, qui factum sit, ut tantum in enuntiatis temporalibus conjunctivus propter determinationem relativum adhiberetur, in enuntiatis relativis (i. e. quae per pronomen vel adverbium relativum incipiunt) non item. Hanc autem quaestionem ipse ita solvere sibi videtur, ut in sententiis temporalibus definitionem magis esse relativam statuat, quam in aliis enuntiatis secundariis. Hoc quomodo cogitandum sit, confiteor me non intelligere. Melius Hoffmannus (ed. II. p. 201.) causam illius rei in natura ac diversitate enuntiati temporalis et relativi positam atque inde repetendam esse exposuit. Neque minus apte ad cetera, quae ille ei opprobrio dedit, respondit in editionis secundae parte extrema et praefatione praemissa. — Ceterum jam satis de hac re me dixisse atque licere mihi in Hoffmanni sententia acquiescere existimo.

§ 2.

Donec.

De origine particulae ‚donec'.

De origine hujus particulae quot homines docti scripserunt, tot fere sententiae inter se diversae prolatae sunt; atque in duas maxime partes discesserunt, quarum ab altera stant Pottius, Corssenus, Josephus Schneiderus, ab altera Weberus et Zeyssius.[3]) Sed ne ii quidem, qui in summa quaestionis consentiunt, de singulis ejus partibus eandem rationem sequuntur. Ac primum quidem Corssenus arrepta Pottii conjectura (Pott, etym. Forsch. I. 96, 27.) ac paulo mutata contendit (Aussprache, Vokalism. u. s. w. 1. Aufl.) syllabam, ‚*do*' ortam esse ex ‚**dio*', ablativo vocabuli ‚*dius*', quae forma vetustior pro ‚*dies*' extaret in ‚*nudius tertius*'. Huic ablativo adjectis negatione ‚*ni*' et particula ‚*cum*' effici ‚*donicum*', cujus significatio esset „an dem Tage nicht wann" = bis. Deinde suppressa vi negationis ‚*donicum*' non jam finem alicujus rei et initium alterius sed perpetuitatem designare atque verti „so lange als". — Corsseno de posterioribus syllabis Jos. Schneiderus (Progr. Gleiwitz 1866) assentitur, sed cum ille ‚*do*' ablativum diceret, hic dativum esse mavult notantem ‚*motum ad aliquod tempus directum*'. Itaque ‚*donicum*' significat aut ‚*ad id temporis momentum, quo quid esse nondum coepit,* (= bis) *aut ad id temporis momentum, quo quid non amplius est*' (= so lange als.) Apparet, si quid contra Corsseni rationem proferri potest, idem valere contra Schneiderum. Illius autem sententiam justis argumentis refutavit H. Weberus. (Zeitschr. f. d. Gymnasialw. 19, p. 37 sqq. 1865.) Corssenus vero postea sententiam suam paulo mutaverat, (krit. Beitr. z. latein, Formenl. pp. 86. 501. 504.) atque ‚*do*' non apud Italos ex ‚**dio*' ortum, sed missis ambagibus ex forma sanscritica ‚*dâ*' prognatum esse maluerat, his deinceps

[3]) Quae ante hos Boppius de hac re docuit, cum ea falsa esse Corssenus et Schneiderus bene demonstraverint, afferre supersedeo.

mutationis gradibus factis: ‚$\sqrt{}$ *div*, *scr. div.-a(-s) Tag, dija, da*‘, latine ‚*do*‘. Quae autem contra haec Weberus protulit, minus probabilia sunt, quo fit, ut adhuc dubium sit, utrum rectius cum Corsseno syllabam ‚*do*‘ a ‚$\sqrt{}$ *div*‘ derivemus, an cum Webero ei sub esse statuamus stirpem demonstrativam, ‚*da*‘, (non, ut censuerunt Boppius, Leo Meyerus alii, mutatum ex ‚*ta*‘, sed peculiarem formam) qua utebantur etiam Graeci in pronominibus ὁ-δε, τοσό-δε aliis.

De posteriore parte vocabuli ‚*donec*‘ (‚*donicum*‘) optime meritus est Zeyssius. (Kuhns Zeitschr. 19. pp. 171 sqq.) Is primus, id quod alios omisisse miror,[4]) etiam formae ‚*donique*‘ praeter ‚*donicum*‘ antiquissimis temporibus usitatae rationem esse habendam recte monuit. Quam ortam esse ex ‚*doneque*‘ ostendit adhibita hac lege, quam Ritschelius repperit: „jedes kurze Schluss e erfährt in der Composition mit einem consonantisch anlautenden Worte den Umlaut in i.“ (opusc. II. p. 556—569.) Eadem ex forma antiquiore correptum esse ‚*donec*‘, sicut ex ‚*neque*‘ ‚*nec*‘. Deinde, cum constet ‚*done*‘ antiquius esse quam ‚*doni*‘, facile cogitari pro ‚*donicum*‘ aliquando extitisse, ‚*donecum*‘, sed periisse, postquam secundum eandem Ritschelii legem, ‚*donicum*‘ in locum ejus cesserit. Quid autem sit ‚*ne*‘, Zeyssius sibi videtur invenisse. (pp. 163 sqq.) In lingua, ait, sanscritica extare terminationem ‚*nā*‘ et locali et temporali vi praeditam. Quam comparere apud Graecos in τ-να, apud Italos mutatum in ‚*nĕ*‘, sicut ‚*vā*‘ in ‚*vĕ*‘ (= oder.) Localiter hanc positam esse in ‚*ponĕ*, *sinĕ*‘ aliis, temporaliter in ‚*quandonĕ*‘. ‚*Pone*‘ enim et quae alia allata sunt vocabula, non esse adverbia — id quod voluit Corssenus — vel inde perspici, quod ‚*e*‘ in exitu eorum positum apud poëtas breve esset.*) Immo, quia per errorem adverbia habita essent, adjectiva, quae iis responderent, formata esse, sicut, ‚*infernus*‘ alia.

---

[4]) excepto Schneidero; is autem non dubitavit contendere ex ‚donicum‘ prius ‚donique‘ deinde ‚donec‘ correptum esse. Quod non modo parum verisimile sed etiam falsum esse nunc videbimus. Similiter Ritschelius opsc. II. p. 242.

*) Ejusdem generis Zeyssius putat ‚infernĕ‘ internĕ‘ alia. Quod num recte putet, valde dubitandum est, quoniam alia quoque adverbia, sicut ‚ben ĕ‘, malĕ‘ e correptum habeant.

Quibus expositis si redimus ad particulam nostram, videmus, cum extrema pars — sive est ‚*cum*' sive ‚*que*' — forma sit relativa, significationem particulae esse „so lange als" et „so lange bis".

Jam ex his omnibus intelligimus, quid sit syllaba ‚*do*', adhuc in medio relictum esse; deinde, quamquam de origine posterioris vocabuli partis ita Zeyssius disseruit, ut de ea dubitari jam non possit, tamen — mea quidem sententia — non potest concedi tam facile, quam dixit ille, ex compositione particulae sequi notiones ejus. Immo has, cum tam inter se sint diversae, ut „so lange als" indicet actionem vel statum idem temporis spatium complecti, quod aliam actionem vel alium statum, „so lange bis" exprimat rem durare usque ad id temporis punctum, quo altera accidat, in uno eodemque vocabulo pro origine ejus non posse sitas esse nemo, opinor, non videt. Sed usu sermonis factum esse, ut una notio in alteram paulatim transiret, hoc cogitari potest.

De usu particulae ‚*donec*'.[5])

I. **Donec** = so lange als.

De constructione earum particularum, quibus est notio „so lange als", vix quidquam addi opus est ad ea, quae supra (p. 10.) exposui. Nam si duae res non modo simul accidunt, sed etiam pari temporis diuturnitate continentur, ita ut simul initium capiant, simul esse desinant, omnino non est, cur temporis definitione utamur relativa, cum neque nexus temporis mente fingendus sit, neque initium actionis primariae durante jam secundaria incidat. Quae cum ita sint, in oratione recta semper inveniemus indicativum.

A. **In oratione recta.**

1) cum indicativo imperfecti.

Tac. H. IV., 2,6 A. XIV., 50,7 III., 15,3, *atque ipsa, donec mediae Pisoni spes (*scil. *erant) sociam cujuscunque fortunae promittebat.*

Flor. p. 11,11. (vid. p. 17. adnot. 8.)

[5]) Apud Sallustium et Vellejum ‚*donec*' omnino non invenitur.

2) c. ind. perf.

Curt. X., 5,3. VI., 1,2. — **Tac.** D. 8,18. 40,20. 21. H. I. 13,19. A. I., 68,17. VI., 51,4.

3) c. ind. fut.

Tac. H. I., 87,4. IV., 74,11. ‚*vitia erunt, donec homines*' (scil. *erunt.)*

B. **In oratione obliqua.**

1) c. conj. praes.

Tac. A. XV., 11,4. (in oratione recta positum esset futurum.

2) c. conj. impf.

Valer. II., 7,15 = p. 93,4. — **Curt.** VII., 9,14. — **Tac.** A. XV., 64,5.

II. **Donec** = so lange bis.

Vix cuiquam contigat scrutando ac meditando cognoscere qua ratione factum sit, ut eaedem particulae (scil. praeter ‚*donec*' etiam ‚*dnm*' et ‚*quoad*') adhiberentur et ita, ut indicarent duas res simul decurrentes (= quamdiu), et ita, ut exprimerent actionem aliquam incidere finita altera vel hanc usque ad id temporis punctum extendi, quo uova accideret, et quasi in locum prioris succederet (= bis). Sed duas illas notiones non prorsus inter se alienas esse sed aliquid saltem commune habere, paucis conabor exponere.

Extant enim exempla, quae tamquam in medio sita sunt inter notiones ‚bis' et ‚so lange als'. Haec apud Curtium VI., 10,28. ‚*retinete me in vinculis, dum consulitur Hammon*' recte vertuntur ‚haltet mich in Gewahrsam so lange als H. befragt wird', i. e. per id tempus, quo nuntii ad deum contendunt, dum consulunt, redeunt. Verum nihil interest, utrum ita vertamus an „so lange bis H. gefragt sein wird". At scriptor, cum praesenti tempore usus sit, id noluit exprimere. Recte, sed perspicitur, quam prope notio ‚bis' absit a ‚so lange als'. Accedit, quod saepenumero, etiam cum de notione ‚bis' dubitari non potest, pro futuro vel

futuro exacto scriptores ponunt praesens neglecta ea re, quod res secundaria futura est; hoc est iis locis, quibus non, ut in illo Curtii, finis alterius actionis expectatur, ut altera quoque possit finiri, sed ubi actio primaria finitur jam tum, ubi primum secundaria incipitur. Duo enim sunt genera usus: actio primaria finitur aut ut primum secundaria initium capit, aut tum demum, cum haec praeterlapsa est; illic expectatur initium, hic finis novae actionis. Hae igitur inveniuntur structurae:

1) maneo donec (dum) vĕnit (veniet)
2) „ „ vēnit (venerit fut II.) = adest: perf. log.
3) manebam, mansi, manseram } donec vēnit: perf. hist.
4) „ „ venerat.[6])

Venio nunc ad modorum usum. Is quibus circumscribatur legibus, haud difficile est cognitu. Ubi enim sententia primaria indicatur eum, qui agit, in animo habere tum demum agendi finem facere, cum nova actio inciderit, i. e. eum optare; ut haec accidat eaque re sibi liceat operae finem facere, tum scriptores uti conjunctivo, non possumus non probare. Hoc autem genus dicendi apud plurimos scriptores praevalere[7]) non miror, quia in ipsius hujus structurae natura positum videtur, actiones nexu quodam finali conjungi.

A. In oratione recta.

1) c. ind. perf.

Curt. IV., 4,6. VI., 1,4. 1,15. 11,20. VIII., 1,23. 10,8. 14,28. 14,33. IX., 1,12. 5,9. [9.]

Tac. G. 37,22. 45,17. — Ag. 26,11. 36,4. — H. I., 63,6. 72,19. 82,8. II., 15,4. 61,9. 84,9. 95,17. III., 58,23. IV., 27,10. 50,24. 66,7. 77,6. 78,7. — A. I. 5,15.

[6]) pro plusquamperfecto ‚venerat' impf. ‚aderat' est Tac. H. I. 9,5. cf. p. 17.

[7]) magis in conjunctione ‚*dum*' quam in ‚*donec*'.

II., 28,9. 30,3. III., 27,11. 31,16. 36,15. 74,16. IV., 54,5. 72,5. 74,18. V., 3,12. VI., 17,13. 41,4. 44,20. XII. 43,7. XIII., 25,20. 43,12. 44,21. XIV., 8,8. XV., 9,14. 54,3. 73,12. XVI., 10,19. 34,7. [41.]

Suet. Caes. 1,18, 28,13, 82,29. Aug. 16,36. Tib. 45,7. Calig. 22,2. Nero 20,6. Galba 8,2. 20,16. Otho 6,32. Vitell. 17,34. Domit. 3,5. Gramm. 24,6. Rhet. 1,16. 3,14. [15.]

Flor. 13,4. 14,2. 14,9. 90,16. 91,27. — **Just.** 12,6,15. 14,6,11.

2) c. ind. impf.

Tac. H. I. 9,5. ‚*inferioris Germaniae legiones diutius sine consulari fuere, donec missu Galbae A. Vitellius aderat*'. Praeter hoc nullum extat exemplum[8]), in quo ‚*donec*' (*dum* ‚*quoad*') = bis sequatur indicativus imperfecti. Atque recte scriptores hunc usum spreverunt: nam cum hic describendus sit actus incidens, progressus rerum, imperfecto potius status designatur. Quod hoc loco imperfectum poni poterat, in ipso verbo positum est. Summa agendi celeritas ita indicatur, ut missa ipsius actionis narratione statim status, qui ex illa sequitur, animo praecipiatur: ‚*donec aderat*' = bis er plötzlich da war. (man wusste kaum, wie er gekommen war.)

In permultis horum exemplorum, in quibus indicativus positus est, ‚*donec*' a natura sua et principali notione aliquanto longius recedit. Sunt enim, in quibus non id ipsum agatur, ut actio enuntiati primarii usque ad initium rei in enuntiato secundario narratae duret, et ea de causa

[8]) Flor. 11,11. Jahnius cod. Bambergensem secutus scribit ‚*donec aderat libido*', Halmius codicibus Jordanis nisus ‚*aberat*'. Halmio ‚*lectionem suam tamdiu quod praecedit videtur flagitare*', ni fallor, quia tum ‚*donec*' idem est quod ‚*quamdiu*'. Quod argumentum nullius est momenti: nam etiam talibus locis, quibus ‚*donec*' significat „bis", interdum praecedit ‚*tamdiu*'. cf. Just. 4,1,15. Curt. V. 9,4. Nihilo autem secius Halmii lectionem praefero, quia quae inest imperfecto ‚*aderat*' (= *venerat* er war gekommen, war plötzlich da) celeritas agendi, hoc loco vix est, cur describatur.

haec illam nulla mora subsequatur, sed in quibus quasi enuntiatis primariis inter se coordinatis narretur unam rem accidisse, deinde alteram; itaque recte talia enuntiata conjungerentur particulis ‚*deinde*', ‚*mox*', ‚*paulo post*' similibus, atque miramur, quod pro talibus scriptores adhibuerunt ‚*donec*'. Germanice talia vertimus aut imitantes usum Romanorum — vel eadem libertate sermonis usi — per „bis", aut per vocabula illis, *deinde* cett. respondentia. Affero verbi gratia Tac. A. XIII., 44,21. XV. 9,4. XIV. 8,8. H. II., 15,4. 28,9. Suet. Nero 20,6. Flor. 13,4. 90,16. Just. 14,6,11. Hoc extremo exemplo usus, de quo dico, praeter cetera bene illustratur: ‚*percussores attoniti — substiterunt, donec a Cassandro missi sunt* — Quis putat percussores illos totum per tempus attonitos stetisse atque tum demum abiisse, cum missi a Cassandro venissent? Immo dicit Justinus: qui priores missi sunt, perterriti infecta re abierunt; tum autem Cassander tales homines elegit, qui reginam re vera confoderunt.

3) c. conj. praes.

Valer. IX., 2, ext. 11. — **Tac.** H. II., 1,9. III., 47,17.

4) c. conj. impf.

Valer. II., 1,9. III., 2,1. IV., 7,2. (p. 204,2.) V., 8,5. — **Curt.** IV., 3,5. V., 3,17. 13,12. X., 1,16.

Tac. Ag. 19,19. 39,14. — H. I., 13,15. 46,15. II., 24.11. 49,6. 60,5. III., 9,10. 60,2. IV., 41,12. — A. I., 37,3. 51,13. 64,16. II., 34,16. 39,9. IV., 47,1. VI., 34,4. 49,9. XIII., 36,1.

Suet. Aug. 17,9. 48,4. 78,1. Tib. 63,13. Claud. 45,14.

Flor. 60,20. 111,27. — **Just.** 12,9,12.

In his omnibus, quae modo enumeravi, exemplis nullum inveniri, in quo ponatur conjunctivus plusquamperfecti, nostro jure miramur, cum et ipsa re illud tempus nonnunquam postulari videatur et apud Livium, Caesarem alios ea structura haud ita raro adhibita est. Neque casu factum est, ut nullum extet tale exemplum, sed causa ejus rei

posita est in singulari quodam usu scriptorum. Quod dicit Valerius III., 2,1. ‚*Horatius Cocles extremam pontis partem occupavit totumque hostium agmen, donec post tergum suum pons abrumperetur, infatigabili pugna sustinuit*‘ nonne melius dixisset ‚*donec pons abruptum esset*‘? nam sine dubio Horatius id tempus expectat, quo actio abrumpendi usque ad finem producta sit, atque tum demum in Tiberim se projicere in animo habet. Immo paene absurdum videtur censere Horatium nihil nisi initium abrumpendi expectare. Sed nihil absurdum est, ubi primum ‚*donec*‘ vertimus non per „bis“ sed per „so lange als“. Horatius — sustinuit per totum tempus ‚quamdiu pons abrumperetur‘. Ejusdem generis sunt hi loci: Valer. IV., 7,2. V., 8,5. Curt. V., 3,7. 13,12. Tac. Ag. 39,14. H. I., 13,15. A. I., 51,13. 64,16. II., 39,3. IV., 47,1. VI., 49,9. Suet. Aug. 17,48. 78. Claud. 45,1. — Flor. 60,20. — Conjunctivus hic eodem jure usurpatur atque in enuntiatis a pronomine relativo incipientibus, ubi subest consilium subjecti, sicut in hoc: *missi sunt delecti cum Leonida, qui Thermopylas occuparent*‘. Ita cum invenerim ‚*donec*‘ in his exemplis non esse id quod nostrum „bis“, sed certe esse „so lange als“, non possum assentiri Gerbero neganti (Progr. Glückstadt 1874. pp. 29,30.) apud Tacitum unquam particulam ‚*donec*‘ = „so lange als“ sequi conjunctivum. Immo statuendum est et apud Tacitum et apud ceteros, quos ego perlegi, multis locis ob id ipsum, quod extat conj. impf., ‚*donec*‘ vertendum esse „so lange als“ (= damit inzwischen); quibus omnibus Livius sine dubio adhibuisset conjunctivum qlusquamperfecti, ita ut apud eum nobis vertendum esset „bis“.

Donec cum conjunctivo
in oratione recta, ubi sensus finalis aperte deest.
(cf. p. 22, adn. 11.)

In omnibus exemplis, quae sub 3 et 4 attuli, conjunctivus, ut supra explanavi, usurpatur, quia sententiae subest ratio finalis. Supersunt autem, in quibus conjunctivus positus est, quamquam sensus finalis aperte deest, sicut Flor. 37,3,

itaque duo maximi exercitus caesi sunt ad hostium satietatem, donec Hannibal diceret militi suo: parce ferro! Tac. G. 1,9. *Danuvius — pluris populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat.* . Nemini autem persuadebit G. T. A. Kruegerus dicens ad hunc locum (lat. Gramm. § 633) „der Conjunctiv malt fast dichterisch das Streben des Flusses sich in das Meer zu ergiessen;" neminem, opinor, Gerberus juvabit, cum segregat exempla, in quibus *consilium agentis magis se ostendit*, ab iis, *ubi interna rerum ratio inter se temporali notione nexarum magis conspicitur.* Quae sit haec *interna ratio* vel hic *interior nexus temporis* ego quidem neque exemplis perspicere potui neque intelligere me fateor. Sed similis videtur hic *interior nexus* rationi, quam Zumptius alii protulerunt ad explicandum conjunctivum ex particula *quom* pendentem, ubi ratio causalis deest, quamque in paragrapho prima hujus dissertationis Em. Hoffmanni ratione vanam et irritam cognitam esse ostendi.

Itaque manet quaestio, quae sit causa conjunctivi in talibus exemplis, in quibus nexus finalis aperte deest. Apparet, si omnino quam supra comprobavi, ratio E. Hoffmanni de conjunctionibus temporalibus in universum prolata recta est, eam aptam fore ad hanc quoque quaestionem solvendam. Sed ipsius Hoffmanni librum frustra inspiciemus, nam ubi conjunctiones *donec*, *dum*, *quoad* tractat, (2. Aufl. pp. 6—7.) nihil nisi haec dicit: „in der Bedeutung ‚bis' verbinden sie sich, falls kein finaler Gedanke sich einmischt, mit eben den Temporibus, die auch für den betreffenden Satz in freier Aussageform angewendet werden müssen". Ea igitur exempla, de quibus nunc dico, non tam neglexisse quam omnino non animadvertisse videtur. Sed nuper per literas certiorem me fecit se ad haec quoque exempla explicanda in ratione sua perstare, atque adumbravit, quid de hac re sentiat. Itaque conabor nunc rem exponere.

Secernendi sunt ii loci, quibus in narratione historica verbum a *donec* pendens indicat novam rem accidisse, ubi primum status aliquis esse desiit, ab iis, quibus actione in tempore praesenti versante atque adhibito tempore praesenti

sententia secundaria per *donec* incipienti finiri indicatur status perpetuus et continenter renovatus atque redintegratus.

Disseramus prius de illis, quos priore loco commemoravimus. Scriptores particula *donec* utuntur, si iis exprimendum est, rem aliquam factam et usque ad finem productam esse, deinde (i. e. post finem vel sub finem ejus) alteram accidisse et priorem subsecutam esse, ita, inquam, ut actiones enumerentur et deinceps factae dicantur — aut ita, ut indicent, qua agendi qualitate actio secundaria fuerit cogitata decurrente actione primaria. Nam ei, qui loquitur, si suum spectat tempus, utraque actio praeterita videtur, sin autem tempus actionis primariae, non negabit inde proficiscenti tempus actionis secundariae futuram videri. Quod si ita fit, rem secundariam, cum ei non id tribuatur tempus, quo re vera versatur, sed id unum spectetur, qualis sit tempore actionis primariae, atque haec cogitatione quasi usque ad initium vel perfectionem illius extendatur, apparet non absolute positum esse sed relative. Itaque intelligimus, qua ratione pro indicativo perfecti substituatur conjunctivus imperfecti vel plusquamperfecti: imperfecti, si res secundaria decurrente primaria incidens, plusquamperfecti si perfecta designatur.[9])

Venio nunc ad eos locos, in quibus positus est conjunctivus praesentis. Jam vidimus ei, qui tempus actionis primariae respicit, actionem secundariam futuram videri. Inde sequitur, ut in tali temporis definitione suo loco sit conjunctivus futuri. Sed etiam hoc alterum spectandum est: futurum non aptum est ad exprimendum id, quod continenter est aut semper denuo repetitur, quod in universum pronuntiatur, sicut *homines mortales sunt* et (Tac. G. 1.) *Danubius pluris populos adit.* Quam ob rem conjunctivus praesentis hic usurpatur non modo propterea,

[9]) Hujus conjunctivi *donec* sequentis ratio est eadem fere atque ea, quam E. Hoffmannus conjunctivi ex, *antequam* et *priusquam* pendentis esse demonstravit. (l. l. pp. 174. 206.)

quia omnino saepissime futuri conjunctivi locum tenet, sed etiam ideo, quod ipsa rerum natura ac ratione flagitatur.

Exempla hujus usus haec sunt:[10])

1). c. conj. praes.

Curt. IV., 7,22. *(fons) multum ex nocturno calore decrescit, donec sub ipsum diei ortum adsueto tepore languescat.*

V., 9,4. *auspicium et imperium interim alii trade, qui tamdiu rex apelletur, donec Asia decedat hostis.*

Tac. G. 1,9. 20,5. 31,15. 35,5. 40,14. H. V., 6,21. A. II. 6,16. G. 31,9. *fortissimus quisque ferreum insuper anulum velut vinculum gestat, donec caede hostis absolvat:* hoc loco concedi potest inesse consilium agentis atque conjunctivum habere vim finalem.

2) c. conj. impf.

Valer. IX., 13,2. — *eo usque moram trahens, donec caput ejus sordido in loco abscideretur.*[11])

Curt. VIII., 8,6. — *rursus convictum per biennium tamen distuli, donec vos postularetis, ut tandem debito supplicio scelus lueret.*

IV., 15,17. *quidam arma non omittebant, donec multo sanguine effuso exanimati procumberent.*

V., 2,22. *quotiescunque ad te veni, donec, ut considerem, adnueres, restiti.*

Tac.[12]) H. I., 35,7. 66,19. 77,21. II., 8,14. (II. 49,6.[12])) 54,12. 59,10. 67,3. III., 10,25. 23,11. 27,13. 61,14. 78,21. 82,17. IV., 16,18. 23,21. 35,10. 37,16. 43,10.

---

[10]) Particula *dum* semel ita usurpata est: Tac. A. II. 80,17. cf. p. 35.

[11]) Hic cogitari non posse de consilio subjecti, vel inde apparet, quod pronomen scriptum est *ejus;* in enuntiato finali scribendum erat *suum* vel *sibi*, pronomen reflexivum.

[12]) Postquam omnia exempla Tacitea accurate consideravi, mihi persuasi acute Gerberum ea, in quibus consilium agentis se ostendit, segregasse ab iis, quae tali ratione carent. Huc pertinent omnia, in quibus *interiorem nexum temporalem* inesse vult exceptis mea quidem sententia duobus, in quibus etsi non pro certo

60,6. 72,19. 74,1.[13]) 83,21. V., 11,6. 12,19. 13,20. — A. I., 1,10. 13,25. 32,9. 37,3. II., 43,14. 82,20. III., 20,14. IV., 7,2. 44,5. V. 11,7. (VI. 34,4.[12])) XI., 22,14. 22,23. XII. 14,12. 40,8. XIII., 13,4. 33,3. 58,4. XIV., 8,10. XV. 11,6. 59,18. XVI., 9,12. [46.]

Suet. Caes. 16,5.

Flor. 37,3. 63,27. 88,11. *eo usque — peractum donec, deessent.*

B. In oratione obliqua.

1) c. conj. impf.

Valer. I., 7, ext. 5. — **Curt.** IV., 7,28. X. 1,16. — **Tac.** H. II., 50,11. III., 1,4. 70,15. A. I., 67,4. XV., 16,7. —

2) c. conj. perf.

Suet. Calig. 59,11.

---

§ 3.

Dum.

De origine particulae *dum*

post ea, quae de conjunctione *donec* supra disputavimus, perpauca dicenda sunt: nam quae est sententiarum diversitas in illa quaestione, eadem pertinet ad *dum*, cum id omnes — quos ego scio — consentiant, vocabula *dum* et *donec*

---

licet affirmari, tamen, qui est sententiarum nexus, verisimilius videtur, inesse vim finalem: H. II., 49,6. *increpitis seditionis auctoribus regressus vacavit abeuntium adloquiis donec omnes inviolati digrederentur.* A. VI., 34,4, *saepe in modum obsidii stationibus cingebat, donec Parthi contumeliarum insolentes circumsisterent regem, poscerent proelium.*

[13]) *Regna bellaque per Gallias semper fuere, donec in nostrum jus concederetis.* Gerberus cum ascripsit *i. e. tamdiu quam*, loco sensum contrarium tribuit, nam *donec in nostrum jus concederetis* (bis —) idem est, quod, *quamdiu nondum (= priusquam) in nostrum jus concesseratis.*

(vel hujus priorem partem) ab iisdem primordiis profecta esse. Atque quoniam vidimus quaestionem illam nondum esse solutam, non possumus non confiteri adhuc in medio relictum esse, utrum in *dum* lateat stirps demonstrativa an vox diei. Hoc unum autem adjiciendum videtur, Corssenum, cum postremum *dô* non ex **dio* in lingua demum Latina ortum esse, sed ex forma Indica *dā* concessisset, hic in sententia, quam initio proposuit, plane sibi constitisse: *dum* igitur correptum ex *dium* putat, accusativo ad nominativum *dius* pertinenti. Haec postquam de origine particulae praemisimus, nunc transeamus ad illustrandum usum ejus, qualis est apud eos scriptores, de quibus dissertatio est.

De usu particulae *dum*.

Primum tractandos mihi proposui eos locos, quibus conjunctione *dum* conjunguntur duae sententiae, quarum actiones uno eodemque temporis spatio decurrunt, hoc est in quibus *dum* idem sibi vult, quod *quamdiu*. Vix opus est commemorare, ubi *dum* hanc habet notionem, de temporum et modorum usu easdem valere leges quas in particula *donec*.

I. **Dum** = so lange als.

A. **In oratione recta.**

1) c. ind. praes.

a) antecedit in enuntiato primario praesens,

Sall. H. i. 103. — **Valer.** VI., 3, vs. 1. *armet se duritia pectus, dum narrantur.* — **Curt.** VI., 10,28. VII., 1,18. *dum dico — ut liberer, peto.*

b) in enunt. prim. futurum.

Curt. VII., 2,15. *Obsides, dum hoc peragis, erunt fratres tui.* Praesens in enuntiato temporali negligentia quadam pro futuro positum est.

c) in enunt. prim. praeteritum.[14])

Sall. Cat. 36,1. Jug. 53,3. 58,4. H. I. 41,6. — **Curt.** VIII., 14,35.

2) c. ind. fut.

etiam membrum demonstrativum exhibet futurum.

Vellei. II., 66,5. — **Tac.** A. XIV., 55,12. — **Suet.** Claud 4,3. in epistola Augusti ad Liviam conscripta.

3) c. ind. impf.

Sall. H. IV., 61,5. *dum premebantur — simulantes.* — **Vellei.** II., 63,1. Curt. X., 1,43.

Tac. H. I., 1,3. 49,16. II. 21,10. A. IV., 47,13. XII., 35,8. XIV., 9,4. XIII., 3,2. *intentus — dum enumerabat* pro *qua in re intentus erat — dum enumerabat* Tacitea illa breviloquentia.

Flor. 75,12. *cujus aetatis superiores centum anni sancti, pii et, ut diximus aurei, sine flagitio, sine scelere* (scil. *erant*), *dum sincera adhuc integritas* (sc. *erat*), *dumque — continebat.*

---

[14]) In iis, quae sub c) enumeravi, exemplis quin habeamus praesens quod dicitur historicum, omnino dubium esse non potest — nisi forte quis *dum* esse „während" quam „so lange als" mavult; id enim semper fere indicativum praesentis secum habere, sive in membro demonstrativo extat praesens siue praeteritum omnes sciunt. Sed qui exempla nostra accuratius intuebitur, eum astipulaturum mihi spero praeferenti significationem „so lange als". Sall. Catt. 36,1. *(Sed) ipse paucos dies commoratus apud C. Flamininum in agro Arretino dum vicinitatem antea sollicitatam armis exornat, cum fascibus — ad Manlium contendit* nachdem er selbst einige Tage — verweilt war, so lange als er die Nachbarschaft ausrüstete. Jug. 53,3. *Numidae tantummodo remorati, dum in elephantis auxilium putant, postquam — vident, fugam faciunt ac — abeunt* nachdem die Numider so lange gezögert hatten als sie von den Elephanten Hülfe erwarteten, dann aber sahen — da wandten sie sich zur Flucht. — Praesens igitur vigore quodam narrandi pro praeterito usurpatum actionem quasi ante oculos ponit. Sed cum aliis plerisque locis actum unius momenti reprae sentet, atque ita pro perfecto aoristico ponatur, hic potius statum diuturnitatis cujusdam depingit atque locum tenet imperfecti (vid. adn. 30.) Haec res, quamquam rarissima est, tamen non video, cur fieri non possit: nam per se non minus status quam actus repraesentari potest; atque forma praesentis ad utrumque idoneum est.

His locis addendus videtur Valer. VI., 3,12. Codices praebent: *ergo dum sic olim feminis occurritur, mens earum a delictis aberat.* Sed cum appareat per sensum aliter vertere quam „so lange als“ non licere, non dubito praeferre lectionem in margine codicis Bernensis scriptam *ocurrebatur.* Vetamur enim praesens repraesentandi causa positum putare, cum ejus causa omnino non sit.

4) c. ind. perf.

Sall. Jug. 14,10. — **Vellei.** I., 18,2. — **Curt.** VI., 11,40 X., 2,26.

Tac. A. III., 21,14. VI., 40,16. 51,5. XV., 67,6.

Ad haec, quae enumeravi, exempla accedunt nonnulla apud Tacitum, quae propterea maxime difficilia sunt, quod scriptor, quae est breviloquentia ejus, pro enuntiatis plenis quasi per appositionem posuit participia vel adjectiva vel ablativos qui vocantur qualitatis ad subjectum pertinentes; quo fit, ut de temporibus sententiae demonstrativae possit dubitari. In membro autem temporali omnibus his locis invenitur perfectum: H. I. 49,19. *pro consule Africam moderate, jam senior citeriorem Hispaniam pari justitia continuit major privato visus, dum privatus fuit, et omnium consensu capax imperii, nisi imperasset.* V., 8,5. *dum Assyrios penes Medosque et Persas oriens fuit, despectissima pars servientium,* A. I., 4,3. VI., 51,16. XIV. 29,5. *magna, dum vixit, severitatis fama.*

5) c. cunjunctivo.

Venio nunc ad ea exempla, quae exhibent conjunctivum consilium agentis indicantem, quae verti per „bis“ non licere nisi mutatis temporibus (scil. praesenti in perfectum, imperfecto in plusquamperfectum) supra (pp. 18—19.) demonstravi.

a) c. conj. praes.

Just. 11,9,14. *dum Darei corpus sepeliant, dilationem mortis deprecantur* (praes. hist.) „sie bitten um Frist für die Zeit wo sie — begrüben.

b) c. conj. impf.

Curt. VII., 5,18. *his (sc. utribus) incubantes transnavere amnem, quique primi transierant, in statione erant, dum trajicerent ceteri* — „sie warteten so lange als die übrigen noch übersetzten = bis sie übergesetzt wären. — VI., 11,19. IX., 10,22. X., 5,36. —

Tac. A. IV., 19,5. VI., 19,11. 44,2. *(non ultra moratus quamdum conciret.)* XII., 30,9. —

Suet. Nero 48,14. — **Flor.** 30,16.

Restat, ut de uno loco dicam, ubi *dum*, quamquam eandem vim habet, quam nostrum „so lange als", tamen singularem in modum usurpatum est. Apud Valerium VI., 2,6. legimus: *acclamate, dum licet, jam non licebit.* Omnes, opinor, concedent hoc loco non cogitandum esse de duabus actionibus per idem tempus durantibus; neque tamen quisquam dubitabit haec verba vertere „rufet Beifall, so lange es gestattet ist; bald wird es nicht mehr gestattet sein". Aptius autem interponeretur vocabulum „noch;" atque tum, si vertimus „so lange noch", liquet scriptoris non interesse, ut dicat per totum tempus, quo liceat, acclamandum esse, sed id unum eum monere, ne occasionem vel tempus acclamandi praetermittant, ut acclament, priusquam facultas tollatur. — In oratione obliqua complura ejusmodi inveniuntur exempla **Curt.** IV., 1,29. **Tac.** H. I., 21,10. A. VI., 26,9. **Just.** 2,11,12. 4,5,2. 24,7,2. — Gerberus hunc particulae *dum* usum ei parti dissertationis suae inseruit, in qua de notione „während" agit, atque suo jure, cum et ibi et hoc loco exprimatur actio primaria tantum partem ejus temporis explere, quo actio secundaria accidit. Nihilo autem secius ego hoc loco de ea re dixi propterea quod in hoc tomo dissertationis meae, cui superscripsi *dum = so lange als,* omnia exempla tractanda putavi, quaecumque vernacula lingua reddimus per „so lange als.

B. In oratione obliqua.

c. conjunctivo.

1. ea exempla quae in oratione recta haberent indicativum.

a) conj. praes.

Tac. A. I, 29,11. *dum superstitio urgeat, adjiciendos metus* (so lange noch): hic locus simillimus est Valer. VI., 2,6. quem modo tractavi.

b) conj. impf.

Vellei. I., 2,3. *hic insequentesque archontes — dum viverent, eum honorem usurpabant.* Hunc locum, quamquam verbum, ex quo pendeat tota sententia, deest, tamen in numero eorum habere non dubito, qui habent orationem obliquam. Conjunctivus enim, *viverent* significat primos archontes magistratum ineuntes in animo habuisse usque ad vitae finem munere fungi.

Valer. IV., 5,4. VII., 2, ext. 2. — **Curt.** VI., 11,32. IV., 1,29. —

Tac. H. I., 21,10 *dum Galbae auctoritas fluxa* (*sc. esset*), *Pisonis nondum coaluisset* (= *infirma esset.*) — A. VI., 26,9. *dum integer, dum intemptatus* (*sc. esset*) *voluisse.* — **Suet.** Aug. 31,36. — **Just.** 2,11,12. 4,5,2. 24,7,2.

2. ea exempla, in quibus conjunctivus etiam in oratione recta extaret vi finali praeditus.

Curt. VII., 4,5. *Sibi placere in Sogdianos recedere, Oxum amnem velut murum objecturum hosti, dum ex finitimis gentibus valida auxilia concurrerent:* in oratione recta: *placuit ei recedere — dum concurrerent.* — IX., 5,27. *Hortari eum coepit, ut se continendum praeberet, dum spiculum evelleret:* in oratione recta: *continendum se praebuit, dum evelleret.* — **Just.** 22,3,6.

Non curans obliquam orationem **Tacitus** A. II., 81,9. pro conjunctivo imperfecti posuit indicativum praesentis historici: *tandem victa pertinacia Piso oravit, ut traditis tarmis maneret in castello, dum Caesar, cui Suriam permitteret, consulitur.*

II. **Dum** = während, indem.

Transeamus nunc ad eos locos, quibus ‚*dum*' idem est ac nostrum „während" vel „indem". Mirum non est hoc multo saepius inveniri, nam in narratione quid usitatius est, quam ut ad definiendum actionis alicujus tempus ea evenisse indicetur eodem tempore quo alia, neque vero diuturnitas earum repiciatur?

Ex permultis autem locis, quos nunc tractaturus sum, id quod omnibus notum est, major numerus ea forma utitur, ut in enuntiato temporali ponatur indicativus praesentis, in membro demonstrativo id tempus, quod quidem ad narrandi genus aptum est, sive praesens, sive futurum, sive praeteritum. Hanc rem, quam primo quidem aspectu nemo est, quin suo jure miretur, omnes fere, quos ego scio, ita interpretati sunt, ut dicant hoc esse praesens, quod vocant historicum. Sed nonne quam maxime mirum esset, earum sententiarum, quae per ‚*dum*' incipiunt, in longe plurimis orationem tam vividam esse, ut opus esset praesenti illo historico? nonne eo magis mirabile, quod saepissime in enuntiato primario et iis, quae antecedunt aut sequuntur, ne vestigium quidem celeritatis agendi aut vivacitas narrandi potest indagari?

Itaque multo magis mihi placet (ac sine dubio rectum est), quod Henricus Keilius in scholis, quas de grammatica Latina habet, de hac quaestione docet. Hunc enim fere in modum doctus ille vir argumentatur: forma praesentis temporis, cum sola inter verbi formas ita composita sit, — scil. ex stirpe verbi et suffixis personam agentis significantibus — ut neque futuri neque praeteriti temporis notionem contineat, duplicem in modum adhiberi potuit: aut ad id tempus designandum, quod inter futurum et praeteritum

medium situm est — hoc est praesens — aut in talibus sententiis, quae omnino temporis determinatione carent. Ex illo usu is emanavit, quem videmus in praesenti, quod dicitur historicum, hujus autem eae sunt sententiae, quae in universum pronuntiantur, et ea structura, qua ‚*dum*' secum habet indicativum praesentis. At dicat quispiam, potestne adhiberi ad determinandum tempus forma verbi, quae omnino temporis definitione caret? Recte hoc primo obtutu mirum potest videri. Sed videamus, quomodo res se habeat. Si quis refert rem aliquam accidisse atque addere vult aliam rem simul factam esse non curans, utrum haec jam praeterita an futura sit, nonne satis est aequalitatem temporis exprimere particula ‚*dum*', qua una res inter alterius decursum fieri indicatur? nonne sufficit huic particulae formam verbi adjungere, qua notio verbi continetur, postquam, utrum actiones praesentes an futurae an praeteritae cogitentur, jam satis verbo sententiae primariae constitutum est? — Neque tamen historicum praesens a nostra structura plane alienum esse quisquam contendat. Potius, ubi id, quod narratur, tale est, ut in enuntiatis primariis praesens historicum bene ponatur, etiam in membro temporali idem tempus idoneum est. Nimiae autem subtilitatis est argumentatione adhibita discernere, utrum quoque loco scriptor in animo habuerit. Talia verbi gratia enuntiata velut *dum haec geruntur* vel *aguntur* adeo perpetuae formulae speciem praebent, ut vix putari possit scriptorem, cum ea scriberet, cogitasse se praesens historicum adhibere, quia sequatur in enuntiato primario item praesens historicum. Itaque in indice exemplorum, quamquam fortasse inter singula exempla interesse potest indagari, tamen omnia neglecta distinctione permiscue collocavi.

Postremo loco jam de immutata particulae notione pauca dicam. Adhibeamus exemplum. Tacitus cum A. II., 8. dicit *Batavi — dum insultant aquis artemque nandi ostentant, turbati et quidam hausti sunt*, non modo hoc dicit, nonnullos haustos esse, cum, i. e. quo tempore aquis insultabant, sed etiam hoc *hausti sunt insultando*. Unde sequitur *dum*

habere non tam vim temporalem quam, ut ita dicam, instrumentalem. Nonnullis vero locis proxime accedit ad vim causalem. Illis lingua vernacula vertimus „indem, dadurch dass," his „da". — Gerberus omnibus talibus locis vim causalem inesse vult. Quod eum non recte contendere is intelliget, qui paulo accuratius exempla inspexerit. Sall. Cat. 52, 12. *ne perditum eant dum paucis scelestis parcunt.* Quis hoc perlecto contendere potest per *dum* afferri causam? Non dicit Sallustius, cur vel qua de causa perditum eant, sed potius qua ratione, quo facto pernicie se ipsi afficiant. Absurdum est tali loco *dum* reddere per „weil"; bene dicitur „indem", „dadurch dass". Quibus expositis haud supervacaneum puto segregare exempla vi, ut ita dicam, instrumentali praedita ab iis quibus re vera affertur causa.

Accedit tertium notionis genus. Haud enim raro, *dum* indicat unam actionem plane cum altera congruere, idem sibi velle, (die Identität der Handlungen) ita ut idem exprimat, quod, *cum* in notissimo illo, *cum tacent, clamant.* Confer cum hoc, quod legitur apud Valerium III, 2, 17., *dum juris ordinem sequitur, id agit, ut* —, concedes, me recte hanc notionem statuere.

Quattuor igitur particulae notionibus statutis, temporali, instrumentali, causali eaque, qua indicat actionum congruentiam, liceat mihi haec genera signare his compendiis: temp., instr., caus., congr.

In indice exemplorum, quem nunc sum constituturus, ante eos locus, quibus, qui loquitur, utitur oratione atque temporibus historicis, enumerabo eos, quibus de suo ipsius tempore dicit.

A. In oratione recta.

1. c. ind. praes.

In membro demonstrativo sequitur praesens vel perfectum logicum vel futurum.

Sall. Cat. 52,12. instr. Jug. 4,9. caus. — **Vellei.** I., 7,2. temp. II., 16,1. temp. — instr. — Valer. III., 8,1. temp. III., 2,17 congr. VII., 2, ext. 13. temp. IX., 12,

p. 469,15. caus. *peragitur spe semper minor, dum — extenditur et — consumitur.* — **Curt.** VII., 7,14. 8,14. 21. temp.

Tac. G. 12,6. 22,15. A. XV., 21,9. temp. H. I., 37,20. A. III., 19,7. VI., 42,5. XIV., 38,9. caus. (cf. Gerberi dissert. pp. 22 sqq.)

Suet. Nero 39. in versibus citatis: caus.

2. c. ind. praes.

In enuntiato demonstrativo a) praes-hist.

Sall. Cat. 32,2. 56,1. Jug. 52,5. 58,1. 101,5. 101,9. temp. — **Valer.**[15])

Curt. IV., 5,21. 6,23. 12,15. VII., 7,8. VIII., 11,15. IX., 1,21. temp. VII., 2,21. caus.

Tac. H. IV., 33,14. A. II., 7,1. XIV., 7,20. temp. A. VI., 2,7. 35,12. XIV., 5,16.[16]) caus.

Flor. 35,16. 112,8. 48,21. caus. — **Just.** temporali notione: 3,2,1. 5,1,1. 10,6. 6,6,1. 7,11. 9,6,1. 11,7,1. 12,1,4. 12,11. 13,4,9. 16,2,4. 5,15. 18,2,6. 21,4,7. 23,2,13. 24,1,1. 25,2,6. 3,1. 5,1. 31,4,3. 33,1,6. 2,1. 34,2,7. 38,1,2. 39,5,2. 41,6,6. 44,5,4. — causali notione: 14,3,2. 21,2,2. 16,4,16. [31.][17])

b) perf. hist.

Sall. Jug. 32,2. 42,4.[18]) 95,1. — **Vellei.** II., 4,1. 21,1. 25,3. 26,2. 30,5. 37,1. 57,1. 68,1. 79,5. 91,1. 97,1.

[15]) Valer. IX, 9,2. in optimo codice scriptum est in apodosi *redit.* Quod ego, cum ceteri omnes praebeant *rediit*, cumque i litera facile a librario potuerit omitti, denique cum nullo alio loco Valerius in apodosi antecedente in protasi *dum* habeat praesens, hoc autem loco, cur id tempus adhibeatur, causa non sit, posthabeam perfecto.

[16]) *Acerronia, imprudentia dum se Agrippinam esse — clamitat, contis et remis — conficitur.* Gerberus hic *dum* nihil nisi vim temporalem habere vult. Neque vero dubium mihi videtur, quin Acerronia ob eam ipsam causam trucidata sit, quod se Agrippinam esse clamitavit: nam hanc interfici Nero jusserat. —

[17]) In his triginta uno, quos inveni, locis Justinus duodecies usus est formula *dum haec aguntur*, sexies, *dum haec geruntur.*

[18]) *Quae res plerumque magnas civitates pessum dedit, dum alteri alteros vincere — volunt:* hoc loco enuntiatum temporale tamquam appositio est verborum *quae res* atque, quid iis dicatur, uberius explicat.

98,1. I., 15,1. *neque dum moratur, neque proximis annis.* cf. II., 25,3. temp. — II., 44,5. congr.

Valer. I., 5,4. 6,12. 6,13. 7,1. 7,8. 7, ext. 4. II., 2,5. 4,5. vs. 16. III., 2,12. 3,2. *(dum fungitur — interceptus.)* 3, ext. 5. 8,3. 8, ext. 1. vs. 15. IV., 1, ext. 1. *(‚dum immergit — complexus‘)* V., 1, ext. 1. (*‚dum lustrat oppressus‘*) 1, ext. 6, vs. 27. (*‚dum speculatur — interemptum‘*) VI., 2,8. VII., 1,2. 2, ext. 11, (*‚dum objurgat et — perseverat — jussus‘*) 2, ext. 17. 3,6. 4, ext. 1. 6, ext. 1. 7,4. VIII., 1, absol. 11. 6,2. 6,4. 7,1. 7,2. (cf. p. 35 sub. 4.) 7, ext. 4. IX., 1,1.[19]) 1, ext. 3. 2,1. 3,8. 8, ext. 1. 9,2. (cf. adn. 15.) 12,7. 12, ext. 8. 15,2.[20]) 15,4. [39] **Curt.** IV., 6,17. V., 13,24. VII., 2,1. 6,3. VIII. 10,6. (*‚dum obequitat-ictus‘*). 13,15. IX., 5,7. (*‚dum submovet-icta cervice‘*) 10,22. IV., 16,20. temp. — IV., 9,19. IX., 4,33. instr. — IV., 7,30. X., 7,5. congr.

Tac. Ag. 7,2. H. II., 41,8. 59,3. 80,1. III., 16,3. 29,8. IV., 25,23. A. II., 31,6. 62,1. XI., 18,2. 21,4. XII., 43,2. XIII., 54,11. 54,15. XIV., 48,4. XV., 4,1. 46,9. 50,1. 51,10. XVI., 3,5. 21,15. — His accedunt nonnulla exempla, quibus Gerberus causalem notionem vult inesse; H. IV., 71,12. V., 21,7. A. IV., 42,6. XVI., 17,12. In his ego quidem aliam quam temporalem significationem indagare nequeo. — Vim instrumentalem habet *‚dum‘* in his exemplis: H. I., 64,10. II., 21,5. 66,9. III., 40,11. 56,13. 78,17. IV., 33,18. A. I., 74,5. II., 8,12. 27,7. III., 47,10. — Actionum congruentiam exprimit: XII., 36,8. 46,6.

---

[19]) *‚dum‘* quamquam non est in codice B, tamen, cum ad hunc locum bene quadret ac paene necessarium sit, per errorem librarii omissum puto. Itaque hic locus in paucorum illorum numero est, quibus ceteri codices meliorem praebeant lectionem quam Bernensis. —

[20]) *‚dum plenis impudentiae velis ad summum audaciae gradum fertur, imperio Augusti affixus est.‘* Recte Kempfium et Halmium pro *cum*, quod praebent codices, *dum* in textu posuisse censeo: nam *cum* sequi conj. impf. necesse esset.

— Causam afferri per *dum* concedo ex omnibus locis a Gerbero allatis his tantum: H. III., 9,9. 50,20. 86,8. A. III., 69,1. IV., 52,21. 62,12. V., 8,11. VI., 7,25. 32,9. XII., 49,5. XIII., 57,2. XVI., 18,11. [50]

Suet. Caes. 4,20. 56, p. 25, vs. 10. Aug. 99,4. 70,24 et 25. (in versibus ignoti auctoris) Tib. 51,20 (*dum spem facit — funeratum*) 57,38. Vesp. 2,22.[21]) (instr.) 24,22. Tit. 5,15. Domit 4,20. 10,31. 16,16. Gramm. 18,2. 23,20. Rhet. 6,19. deperd. libr. rel. p. 292 vss. 16—19. [16]

Flor. 6,27. 46,20. 74,5. 72,12. 63,12. 84,25. 86,2. 96,29. 105,13. 105,15. 123,1. temp. — 74,8. 74,19. 48,26. 103,24. caus. — 81,27. instr. [16]

Just. 3,2,7. 5,5,2. 7,6,12. 8,4,1. 10,2,5. 11,15,5. 12,2,16. 14,5,8. 15,2,1. 16,3,10. 18,5,6. 19,1,10. 21,4,1. 30,3,5. 31,4,6. 32,1,4. 33,2,3. 38,8,11. 39,1,3. temp. — 4,1,13. 21,5,11. 30,2,6. 34,4,1. caus. — 2,11,3. 8,1,1. 1,3. 20,3,6. 41,4,4. 43,3,4. instr. [29]

c) plusquampf.

Vellei. II., 69,6. 88,1. temp. — **Valer.** III., 3, ext. 4. temp. IX., 3,5. caus. —

Tac. H. II., 33,17. A. I., 54,17. XV., 68,13. XIV., 31,21.[22]) caus. — **Curt.** IX. 7,1. temp.

d) impf.

Sall. Cat. 50,1. Jug. 22,1. temp. [**Valer.** VI., 3,12. cf. p. 26.]

Curt. VI., 11,15. IV., 15,31 temp. — **Tac.** H. I., 87,1. III., 25,14. 33,9. 49,1. IV., 38,8. 70,4. A. I., 50,1. 65,21. 75,4. XII., 68,3. XV. 38,15. XVI., 13,9. temp. — A. I., 23,17. III., 66,15. XIII., 31,16. XV.,

[21]) Simillimus hic locus est Sallustiano (Jug. 42,4), de quo jam supra (p. 32 adn. 18.) dixi. Verbis *dum — appellat* quasi appositione accuratius exponitur, quale fuerit, *convicium*, quo mater utebatur. Ejusdem generis est Flor. 88,13.

[22]) ‚Quod ducibus nostris parum provisum erat, dum amoenitati prius quam usui consulitur'.

18,3. XIV., 38,9. caus. — **A.** II., 23,7. instr. — [18] **Flor.** 67,20. caus. — **Just.** 13,5,1. temp.

e) infinit. hist.

Tac. A. V., 4,4.

3) c. ind. perf.

Valer. VIII., 5,5. 7, ext. 8. (instr.) VIII., 1, absol 7. (instr.)

Curt. X., 1,43. 2,26 temp.

4) c. ind. impf.

Sall. H. I., 10. instr. — caus. — **Curt.** IX., 9,12. instr. — **Tac.** Ag. 41,16. caus. (cf. Gerberi diss. p. 21.) — **Suet.** Vesp. 21,3. *dum salutabatur, et calceabat se ipse et amiciebat:* ita codices. Suetonius cum morem Vespasiani atque rem quotidie iteratam describat, aptissime utitur in utroque membro imperfecto. Eandem ob causam etiam Valerius Maximus VIII., 7,2. ubi Catonis consuetudinem depingit, melius scripsisset *dum senatus cogebatur.* Tantum igitur abest, ut cum Rothio apud Suetonium codicum lectionem mutem in *salutatur*, ut contra etiam apud Valerium *cogitur* in *cogebatur* emendandum esse putem.

5) c. conj. impf.

Suet. Aug. 78,13. *et dum per vicos deportaretur et deposita lectica — condormiebat.* Hic scriptor praetulit relativam temporis definitionem.

B. In oratione obliqua.

1) c. conj. praes.

Tac. H. I., 62,2. A. I., 46,3. temp. — IV., 17,27 instr. — XII., 10,8 caus.

2) c. conj. perf.

Tac. A. XI., 28,3. [H. III., 71,17. *dum* pro *ita* ex conjectura Heraei admodum probabili.]

3) c. conj. impf.

Sall. Cat. 7,6. — **Tac.** D. 1,17. — **Suet.** Aug. 94, p. 79,21. Calig. 38,11. Nero 35,34.

4) c. indicativo.

Valer. III., 2, ext. 2. *ne dum — petit — vulneraret.*
Tac. D. 32,35. (congr.) — H. I., 33,7. III., 38,22, 70,12. A. XI., 33,6. XIV., 58,16. XV., 2,17. 59,1. 59,2. 59,13. 59,14. XVI., 5,9. 5,10. temp. — H. V., 17,6. A. XV., 45,16. caus. [15] — **Suet.** Tib. 14,27. Domit. 17,3.
Just. 9,2,11. 22,8,6. 24,8,5. 29,2,9. temp. — 15,2,15. caus.

III. **Dum** = bis.

De temporum et modorum usu, cum eadem fere, quae supra protuli, ubi de particula *donec* disserui, de conjunctione *dum* valeant, nunc uberius dicere supersedeo.

A. **In oratione recta.**

1) c. ind. praes.

Curt. VI., 3,6. *tempore opus est, dum imbuuntur.*
Tac. A. IV., 18,11. *beneficia eo usque laeta sunt, dum videntur exsolvi posse.* H. III., 27,9. *paulum inde morae, dum convectant: tum. —*

2) c. ind. perf. hist.

Curt. VII., 4,25. *dum — perventum,* (sc. *est*) *traxere vitam.*

3) c. conj. consilium agentis exprimenti.

a) praes.

Sall. H. I., 48,10. — Tac. D. 19,26.

b) impf.

[**Valer.** IV., 4, p. 187,21. *traxit sermone * redirent.* Ita codex optimus; dett. *dum;* F, Γ, Torr. *quousque.* — Apud Valerium, sicut apud Velleium quoque. nunquam invenitur ‚dum' notione „bis" usurpatum, Hoc cum non casui sed consilio usuique scriptorum tribuendum existimen, non placet optimi codicis lacunam eo vocabulo explere quod ab elocutione Valerii alienum videtur.]

Tac. H. I., 70,1. XI., 26,16. *nec ultra expectato quam dum proficiscerentur.* XII., 47,17. — **Suet.** rhet. 1, p. 269,27. verba aliunde citata.

Flor. 98,29. *Pompejus — nectere moras, tergiversari — terere, usque dum — consenescerent.* 102,13.

4) c. conjunctivo definitione temporis relativa effecto.

Tac. A. II., 80,17. *non ultra dubitatum, quam dum — eniterentur.* (cf. p. 22. adn. 10.)

B. **In oratione obliqua.**

1) c. conj. praes.

Just. II., 3,12. (finaliter.)

2) c. conj. impf.

Sall. Jug. 68,3. (fin.) — **Tac.** A. XIV., 57,14. (fin.) — **Just.** 13,2,6. (fin.)

IV. **Dum** = wenn nur.

Quamquam de hac quoque particulae notione disserere ab hoc opusculo, quod de temporis conjunctionibus conscripturus eram, alienum est, tamen, cum paene nolenti mihi in legendis scriptorum libris accideret, ut eos quoque locos respicerem, in quibus *dum* significationem nostri „wenn nur, wofern nur" habebat, exempla, quae inveni ratione atque ordine disposita afferam. *Dum* = „wenn nur" non minus quam *dummodo* nunquam nisi sequente conjunctivo invenitur.

A. In oratione recta.

1) c. conj. praes.

Valer. III., 2, ext. 2. IX., 3, p. 447,19. *dum non desit:* non offendendum est in negatione *non:* nam ea hic artissime cum verbo conjuncta est; *non deesse* idem est atque *adesse.* — **Curt.** VI., 9,36. — **Tac.** A. I., 22,11. XIV., 9,13. D. 25,7. *(dummodo.)* — **Suet.** Tib. 59,1. Calig. 30,17: in verbis aliunde citatis.

2) c. conj. impf.

Sall. Cat. 5,6.[23]) 14,6. — **Valer.** VIII., 14, ext. 3. — **Tac.** H. I., 46,11. (cf. Sall. Cat. 5,6.) — **Just.** III., 6,11. (*dummodo.*)

B. In oratione obliqua.

1) c. conj. praes.

Tac. G. 6,19. (*dummodo.*)

2) c. conj. impf.

Sall. Cat. 40,4. — **Vellei.** II., 62,3. — **Valer.** II., 7,15 = p. 93,2. VIII., 1, absol. 7. (dummodo) — **Tac.** A. I., 9,12. IV, 48,4. III., 71,13. VI., 45,20. XIII., 38,5. XV., 59,15.

Omnibus exemplis apud Sallustium inventis accedit locus nullius ad hanc dissertationem momenti, quia turbato sententiarum nexu atque deficiente membro demonstrativo ne notio quidem particulae potest cognosci: h. i. 96. *dum inferior omni via grassabatur.*

Jam reliquus est, dignus qui uberius tractetur, locus apud Valerium p. 232. Ibi postquam scriptor modo rem a libitinariis quibusdam honeste gestam narravit, ad exterarum gentium reges pergens haec praefatur: *Pace cinerum suorum*

[23]) Vix opus est commemorari in codice Parisino scriptum esse ‚pararat' bis er erlangt hatte. Hoc enim sensu caret, quia Catilina nunquam regnum occupavit. Sine dubio igitur librarius illud per errorem scripsit pro ‚pararet' id quod editores in verba scriptoris receperunt.

reges gentium exterarum secundum hunc tam contemptum gregem referri se patientur, qui aut non attingendus aut [*non*] *in ultima parte domesticorum exemplorum collocandus fuit. sed dum honesti etiam ab infimis* [*estis*] *editi, memoria non intercidat licet separatum locum obtineant, ut nec his adjecti nec illis praelati videantur.* In his verbis primum quin *non* quod uncis inclusum est, delendum sit, dubium esse nequit. Qua re probata (cf. Kempfii ed. Valer. p. 403) Valerii haec est sententia: cum hic primum exemplum non ex ingenuis sed ex vulgo desumptum afferat, dubitat, quo in loco id collocet: timet enim, ne, si ante exterorum exempla ponat, reges, qui in his afferuntur, graviter ferant se post homines obscuro loco natos referri. Sed tamen optime putat libertinos illos collocari post ceteros Romanos, quia, si iis ultimum locum assignaret, hoc est post externos afferret, ordo exemplorum nimis permixtus esset: nam tum primum de Romanis, deinde de externis, postremo iterum de Romanis diceret, tumque libitinarii regibus *adjecti* viderentur quasi appendix nullius momenti — id quod vitare vult. Sin autem *contemptum gregem* ante ceteros omnes poneret, i. e. etiam ante ingenuos Romanos, facile his praelati viderentur — id quod non minus vitandum est. Neque tamen putat libitinarios prorsus omittendos. Cur hoc putet, hujus rei causam nunc expectamus, sed frustra, nam sequuntur verba obscura: *sed dum* cett. Ex quibus primum videamus, quid faciendum sit de vocabulo *estis*. Quod cum ad sententiam non quadrare omnes videant, ambigitur, utrum in archetypo iteratum atque corruptum sit ex *editi*, an per errorem, *infimis estis* scriptum sit pro *inhonestis*, id quod maluit Kempfius. Si illud probamus, *estis* sine damno deletur. Kempfii autem conjecturae obstare videtur, quod *inhonestus* non recte appelletur, qui obscuro loco natus est. Sed quamquam exemplum, quod ipse Kempfius affert, Valer. II., 6,15. *honesta nimirum tam inhonesto vinculo conjugia juncturae*, non plane quadrat, tamen, cum Suetonius Aug. 43. dicat *honeste natus* Cicero *honesto loco natus*, Cornelius Nepos, *honesto genere* cumque

etiam Horatianum illud *ignota matre inhonestus* non tam de moribus quam de ordine dictum videatur, minime inauditum puto Valerium quoque hoc adjectivum ita usurpasse, praesertim cum — id quod bene monuit Kempfius — *acumen videatur quaesivisse contrariis rationibus compositis.* — Ita restitutis, quae aperte corrupta erant, jam redimus ad priorem illam quaestionem, quid nunc nobis expectandum sit, Valerio scribendum fuerit: afferenda erat causa, cur libitinarios non omiserit. Verba autem quae extant, ut hanc afferant, tantum abest, ut contra omnino intelligi non possint. Nam primum *dum* reddere per „bis" aut „wofern nur", ad quod perduci possumus conjunctivo, prohibemur sensu. *Dum* autem temporale, etiamsi transit in notionem causalem, tamen neque ego apud eos, quos perlegi scriptores, inveni exemplum, in quo secum habeat conjunctivum neque Handius (Tursell. II., 310) apud suos. At, dicat aliquis, quid multa? pro *dum* scribe *cum* — non amplius miraberis conjunctivum. Sed num juvamur ea re? Minime, nam absurdum est dicere *cum memoria honesti ab inhonestis editi non intercidat:* vita quotidie docet illud saepissime fieri. Expectamus autem, ut jam supra dixi, haec fere: „da das Andenken — nicht untergehen sollte, dürfte". Quod ante oculos habemus, si verba *intercidat licet* transponimus in *licet intercidat* et interpungimus ante vocabulum *separatum.* Legendum igitur propono: *sed dum*[24]) *honesti etiam ab inhonestis editi memoria non licet intercidat, separatum locum obtineant, ut* —

Suet. Tib. 24,29. *dum veniam ad id tempus, quo vobis aequum possit videri, dare aliquam senectuti meae requiem!* In hac sententia ipsius Tiberii verbis tradita cum apodosis omissa sit, vix pro certo potest affirmari, quae sit notio particulae. Verisimillimum autem est, ut cogitetur de notione „bis" atque hanc fere apodosim a Tiberio praemissam censeamus: *fungar officiis imperii.*

---

[24]) *dum* sicut multis aliis locis ad notionem causalem inclinat.

§ 4.

Postquam.

De origine hujus particulae nihil opus est dicere, cum, quibus ex partibus composita sit, apertum sit. De usu autem ejus rectissime, id quod jam in paragrapho prima ostendi, disseruit E. Hoffmannus. Si omnino tempus actionis alicujus tempore alterius definire volumus, necesse est cogitemus primum utramque actionem in eodem temporis genere — praesenti, praeterito, futuro — versari, deinde utramque absolute dictam esse, enuntiata earum, quasi ambo essent primaria per se stare. Inde sequitur tempora adhibenda esse in utroque membro absoluta, modum indicativum. In apodosi si ponitur praeteritum — neque refert utrum punctum an diuturnitatem exprimat — per se liquet etiam in protasi poni praeteritum. Quod utrum sit perfectum an imperfectum, ea re efficitur, utrum in enuntiato temporali sermo sit de initio actionis, an de statu. Itaque si hoc alterum est, imperfectum non tempus relativum, sed absolutum habendum est. Praeter haec duo tempora nullum adhiberi licet: nam quod praeteritum super est, plusquamperfectum, propterea non quadrat, quia non eundem, ut ita dicam, gradum praeteriti temporis exprimit, quia, cum res in enuntiato primario perfecto vel imperfecto narrata, cum ea, quam exhibet enuntiati secundarii plusquamperfectum, temporis careat nexu vel contactu, hoc modo tempus actionis primariae definiri non potest, Unde perspicitur plusquamperfecti non esse locum nisi ubi scriptor enuntiatum secundarium primario subjungens utitur determinatione relativa. Quod si accidit, adhibito conjunctivo potentiali actio enuntiati temporalis cogitatione tamquam eo usque extenditur, ut actiones inter se contingere videantur.

At, dicat aliquis, ut hoc fieri posse concedam, tamen minime, opinor, negabis indicativum quoque plusquamperfecti particulam *postquam* sequentem haud ita raro inveniri. Recte, invenitur, sed nunquam indicat rem praeteritam

prius factam quam alteram rem ipsam quoque praeteritam — sed semper statum rerum actione illa priore effectum, ita ut idem sibi velit, quod imperfectum absolute dictum. Hac significatione praeditum E. Hoffmannus suo jure appellat plusquamperfectum logicum, quod eadem ratio intercedit inter perfectum et praesens, quae est inter plusquamperfectum et imperfectum.

In tabula exemplorum ea, quae orationem habent historicam, ab iis secernenda mihi videbantur, in quibus, qui loquitur, ad suum ipsius tempus spectat. In illis perfectum nihil nisi factum indicat, in his statum praesentem ex re perfecta secutum, pariter ac sub II., 4. plusquamperfectum idem valet atque imperfectum. Sicut hic perfectum haud inepte appellamus *praesens rei perfectae* ita illic plusquamperfectum *praeteritum rei perfectae.*

I. In enuntiato primario extat praes. log. vel perf. log. Qui loquitur, ad suum ipsius tempus spectat.

A. In oratione recta.

1) c. ind. perf.

Valer. VI., 3,1. *Manlius eras mihi, cum praecipites agebas Senones: postquam imitari coepisti, (= jam imitator es) unus factus es (= nunc es) ex Senonibus.* — **Curt.** VIII., 9,19. *Gemmas margaritasque mare litoribus infundit: neque alia illis (scil. Indis) opulentiae causa est, utique postquam vitiorum commercium vulgavere in externas gentes.* IX., 2,24. *Sero hostium legiones numerare coepistis, postquam solitudinem in Asia vincendo fecistis* (= *nunc habetis*). — **Tac.** Ag. 30,17. *raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere,* (= *defecere* = *desunt*) *jam et mare scrutantur.* A. XV., 67,8. *neque quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti; odisse coepi, postquam parricida matris et uxoris, auriga et histrio et incendarius extitisti* (= seitdem du — geworden bist und nun bist.)

2) c. ind. praes.

Tac. H. IV., 81,24. *utrumque qui interfuere, nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium* (scil — ‚est'.) — A XIV., 44,13. *postquam* (vero) *nationes in familiis habemus (= recepimus) colluviem istam non nisi metu coercueris.*

B. **In oratione obliqua.**

1) c. conj. perf.

Tac. A. II., 33,11. (*republica*) *tenui angustas civium domos, postquam eo magnificentiae venerit, gliscere singulos.*

2) c. conj. praes.

Tac. H. II., 28,2. *veteres illos et tot bellorum victores, postquam in conspectu sit* (= *in conspectum venerit*) *hostis, velut ex acie abduci.*

II. **In utroque membro sunt tempora historica.**

A. **In oratione recta.**

1) c. ind. perf.

a) in enuntiato primario perf. hist.

Sall. Cat. 6,2. *postquam convenere — incredibile memoratu est, quam facile coalueriut* (= *opinione facilius coaluerunt.*) 6,3. 11,7. 12,1. 21,1. 21,5. 26,5. 38,1. 39,1. 51,5.[25]) 51,40. 55,5. 57,1. Jug. 8,2. 35,10. *postquam — egressus est, fertur dixisse.* 39,5. 41,5.

[25]) *Postquam bello confecto de Rhodiis consultum est, majores nostri — impunitos dimisere.* Mirum est, quod hoc loco non inest particulae significatio qua aliis locis indicat alteram rem prius evenisse quam alteram. Cum alias *postquam* c. ind. perf. idem sit, quod *quom* c. conj. plusqu., hic. non differt a *quom* c. conj. impf. conjuncto: „nachher als berathen wurde". Imperfectum magis placeret.

64,3. 85,12. 88,4. 91,5. 92,1.[26]) 93,1.[27]) 96,1. 114,3. [25]

Valer. I., 7, ext. 2. 6. 8,1.2. 12. II., 2,4. 4,5. 10,2. III., 2,16. 21. 23. (p. 125,20. p. 126,7.) 2, ext. 5. 3, ext. 2. 3. 7,1. IV., 1,10. 1, ext. 1. 2,2. 3,1. 4,6. 7,4[28]) V., 1,1. 4,3. 4,5. 6, ext. 1. 7,3. 8,2. VI., 1,3. 1, ext. 2. 3,5. 5,1. 5, ext. 2. VII., 3, ext. 7. 4,5. VIII., 15,7. IX., 1, ext. 2. 3,7. 11,2. 15,1. 15,5. [40] — **Curt.** IV., 15,28. VI., 1,14. VII., 4,20. VIII., 2,38. IX., 4,16. 7,26. [6] — **Tac.**[29]) H. I., 1,5. 36,3. II., 20,11. 33,8. 73,2. IV., 44,5. 49,25. V., 8,6. A. I., 6,15. 34,5. II, 9,3. 13,15. 55,18. III., 26,8. 55,9. *postquam caedibus saevitum et magnitudo formae exitio erat!* Hunc locum comparem cum A. XII., 6,1. *postquam praemisit multaque patrum assentatio sequebatur.* Itaque ad *saevitum* non supplendum puto *erat*, id quod vult E. Hoffmannus p. 25., sed *est*. — IV., 3,11. 71,4. VI., 3,16. XI., 21,3. XII, 17,10. XIII., 21,4. XV. 69,14. XVI., 35,5. 32,13. [24]

Suet. Caes. 80,15. Aug. 31,7. (7,34. et 70,1. in sententiis ad verbum citatis.) Tib. 1,16. 47,23. Calig. 44,12. Claud. 13,7. Ner. 28,35. 33,30. 42,3. Galba 3,23. Otho 5,6. Vesp. 6,18. Tit. 5,26. [15] — **Flor.** 15,25. 45,25. 52,13. 70,12. 83,9. 83,23. 102,8. 119,2. [8] **Just.** 2,5,5. 6,2,7. 12,6,5. [3]

---

[26]) Quamquam verbum enuntiati temporalis in codice Parisino iisque, qui ex eo emanaverunt, et in interpolatis excidit, tamen non dubitavi hunc locum afferre, quia per se apparet perfectum aliquod deesse. Librarii proposuerunt *peregit, fecit, effecit, patravit.*

[27]) Verbum enuntiati primarii, sine dubio perfectum, in codicibus omittitur.

[28]) Valer. IV., 7,4. *postquam in conspectu stetit* (ed. Halm.) De hoc loco idem fere dicendum esset, quod modo de Sall. Cat. 51,5. annotavi, atque vertendum nachdem (als) er vor dessen Angesicht stand.

[29]) Interdum Tacitus omittit copulam; in iis autem, quae hoc loco enumeravi, exemplis quin mente supplendum sit *est*, non dubium puto. Huc pertinent H. II., 33,8. IV., 44,5. A. VI., 3,16. XIII., 21,4.

b) in enuntiato primario praes. hist.

Sall. Cat. 45,3. 53,1. 55,1. 60,2.7. Jug. 15,1. 18,3. 21,4. 35,4.[30]) 46,4. 52,6. 62,7. 68,1.[31]) 70,5[32]) 71,4.5. 75,2. 82,1. 91,3. 106,6. 109,2. [21]

Curt. III., 4,15. VIII., 2,15. — **Tac.** H. I., 25,3. 79,23. II., 4,3. III., 7,8. IV., 40,11. A. I., 20,2. 25,1. 28,7. 68,8.[33]) II., 9,8. III., 21,1. IV., 47,2. 68,15. VI., 33,5. XI., 7,1. XIII., 9,8. 41,3. XVI., 14,3. [18] — **Flor.** 89,8. — **Just.** 13,4,8. 24,2,10. —

c) in enuntiato primario impf.

Sall. Cat. 52,1. 53,5. Jug. 14,10. — **Tac.** Ag. 37,15. H. II., 66,20. III., 25,5. A. II., 82,1.[34]) III., 21,15.

d) in enunt. prim. plusqu.

Sall. Jug. 42,1. — **Tac.** H. I., 22,12.

e) in enuntiato primario infinit. hist.

Sall. Cat. 11,4. 20,7. Jug. 12,5. 30,1. 84,1. **Tac.** A. XII., 35,10.[35]) XIII., 3,5.

---

[30]) *Quae postquam Massiva agitare coepit neque Ingurthae in amicis satis praesidii est — imperat.* Hic locus admodum memorabilis videtur. Temporum, quae *postquam* sequuntur, alterum esse praesens, quod vocant historicum, nemo non videt. Sed cum aliis locis praes. hist. ita usurpari soleat, ut pro perfecto aoristico positum ipsum quoque actum unius momenti significet, hoc loco statum indicat vigore quodam narrandi ita descriptum, quasi praesens sit. Cum exempla hujus similia jam supra viderimus, (p. 25, adn. 14.) non puto ex codicis Parisini scriptura paulo minus distincta aliud restituendum esse quam quod editores probaverunt: *est.*

[31]) Propter formam *comperit* in medio relinquitur, utrum in enuntiato temporali extet perf. an praes. hist.

[32]) Duo tempora: *is — postquam non venit metusque rem impediebat, — Bomilcar mittit.*

[33]) *postquam haesere munimentis, datur — signum.* Ad hunc locum idem fere adnotandum est, quod sub a) de Sall. Cat. 51,5. dictum est: *postquam haesere* vertendum est non „nachdem sie gehangen hatten", sed „nachdem (als) sie hingen." Fortasse aliquis ‚haesere' perfectum esse praesentis ‚haeresco' mavult quam ‚haereo'; sed id rarius invenitur.

[34]) Duo tempora: *postquam percrebruit cunctaque adferebantur.*

[35]) *Postquam facta testudine rudes et informes saxorum compages distractae parque comminus acies, decedere barbari in juga montium.* Ad *distractae* mente supplendum censeo *sunt*, ad ‚acies' autem *erat:* illic enim describitur actus, hic status. (cf. p. 50.)

f) in enunt. prim. verbum per breviloquentiam omittitur.

Tac. A. II., 82,1.[36]) III., 1,15. XII., 6,1[37]) 30,10: *majore odio* (= qua in re majore odio usi sunt) *postquam adepti sunt.*

2) c. ind. praes. hist.

Sall. Cat. 21,5. *postquam videt — dimisit.* 40,3. *postqu. videt — inquit.* 57,5. *postqu. videt — statuit.* 60,7. *p. videt — incurrit — confoditur.* Jug. 6,2. *p. intellegit — volvebat.* 15,4. *p. videt — continuit.* 20,1. *p. videt — intendit.* 35,4. *p. coepit — neque — est.*[38]) 38,4. *p. instruit — continuit.* 53,3. *p. vident — faciunt.* 56,6. *p. urgent — discedunt.* 61,1. *p. videt — discedit.* 64,3. *p. dixit — flectitur — respondit.*[38]) 66,1. *p. incipit — parare, festinare, cogere, affectare.* 69,4. *p. expurgat — solvit.* 76,6. *p. vident — comportant.* 79,7. *p. vident et metuunt, criminari, conturbari, malle.* 80,1. *p. putat — pervenit.*[38]) 84,5. *p. volt* (= *decrevit*) *— advocavit.* 86,1. *p. videt — onerat.* Inter hos undeviginti locos undecies, *postquam videt* (*vident.*)

Tac. H. I., 5,3. *postqu. intelligit — agitatur.* IV., 57,15. *p. vident — concedit.* A. I., 48,10. *p. vident — statuunt.* III., 15,6. *p. intelligit — dubitans — ingreditur.* XIV., 60,1. *p. videt — exturbat.* — Omnia exempla exhibent verba sentiendi, tria *videt,* duo *intelligit.* —

Flor. 121,20. *p. vident — praecepere.* — **Just.** 2,11,16. *p. non inveniunt — vagantur.* 14,3. *p. videt — transfert.* —

---

[36]) *postquam — defixit, idem omnium gemitus* (scil. *ortus est,* nisi quis praefert *oritur.*) —

[37]) *postquam — praemisit, multaque patrum assentatio sequebatur, capto rursus initio, quando* (*scil. ait.*)

[38]) Hoc loco forma praesenti repraesentari statum, jam vidimus adn. 30. Ejusdem generis sunt Jug. 64,3. 80,1.

3) c. ind. impf.

Sall. Cat. 6,3. *p. videbatur — orta est.* 12,1. *p. coepere et — sequebatur — hebescere — haberi.*[39]) 56,4. *p. adventabat — facere — movere — dare.* Jug. 13,5. *p. potiebatur — timere — habere.* 28,2. *p. adventabant — consultus est.* 36,4. *p. adventabat — decessit.* 53,7. *p. erant — facere.* 58,7. *p. nox aderat revortitur.* 70,5. *p. venit metusque rem impediebat — mittit.*

Valer. IX., 13, ext. 4. (p. 478,4.) *p. appropinquabant — non ausus instituit.* III., 8,1. (p. 155,1.) *tum demum aperuit — p. non poterat.*

Curt. III., 1,8, *p. remittebatur — permisere.* III., 12,1. *p. appetebat et — erat — pervenit.* 12,10. *p. nemo audebat — intrat.* VI., 11,17. *p. non poterat — pollicetur.* IX., 5,13. *p. nihil supererat — temptabat.*

Tac. a) in enunt. prim. perf. H. II., 19,1. 72,9. (cf. p. 49. sub. 5) III., 48,8. 86,16. A. IV., 49,2. 73,25. VI., 15,2. 25,3. 51,17. XI., 22,3. XV., 45,12. 67,4. b) in en. prim. praes. hist. H. II., 29,1. A. I., 36,8. 39,19. XII., 13,1. XIII., 16,7. 44,9. c) in en. prim. plusqu. H. III., 45,5. IV., 20,19. *tanquam consuluissent, postquam negabatur.* — d) in en. prim. impf. A. II., 23,14. 82,1. e) in en. prim. infin. hist.[40]) A. I., 4,4. XV., 37,13. (XII., 35,10. vid. sub adn. 35.) f) in en. prim. omisso verbo. A. IV., 72,11. (XII., 6,1. vid. adn. 37.) —

---

[39]) In interpunctione hujus loci positum est, utrum in enuntiato demonstrativo habeamus perfectum an infinitivos historicos. Kritzius et Dietschius, cum post *haberi* levius interpungendi signum ponerent, infinitivos maluerunt a verbo *coepit* pendere. Jordanus, fortasse quia existimavit postremum membrum non item ut duo priora ex iis, quae antecedunt, sequi, puncto post *haberi* posito voluit novam sententiam a vocabulo *innocentia* incipere.

[40]) Huc pertinere censeo etiam A. I., 2,1. *postquam Bruto et Cassio caesis nulla jam publica arma (scil. erant.), Pompejus apud Siciliam oppressus (sc. erat) exutoque Lepido interfecto Antonio ne Julianis quidem partibus nisi Caesar dux reliquus (sc: erat.) posito triumviri nomine consulem se ferens et — contentum, ubi — pellexit: insurgere-trahere.*

Suet. Tib. 15,2. *nihil praetermissum est ad majestatem ejus augendam, ac multo magis, postquam — certum erat. —*

Flor. 13,6. *postquam non poterat — transnatat* 18,2. *postquam liquebat — mactant.* 80,4. *postquam aderat — conscendit.*

4) c. ind. plusqu. (praet. rei perfectae.)

Sall. Jug. 11,2. *postquam illi more regio justa magnifice fecerant, reguli in unum convenerunt* = postquam justa exequiarum erant perfecta „nachdem sie fertig waren". (cf. E. Hoffm. p. 32.) — 44,4. *Albinus postquam decreverat non egredi provincia — plerumque milites stativis castris habebat* = postquam nolebat cett. — 79,4. *p. utrimque legiones item classes saepe fusae fugataeque* (*sc. erant*) *et alteri alteros aliquantum attriverant — faciunt*[41]) — 88,1. *Metellus — excipitur, plebi patribusque, p. invidia decesserat* (= *aberat*), *juxta carus.* — 97,1. *p. oppidum Capsam aliosque locos — amiserat,* (= postquam — orbus erat) *misit* — 108,1. *p. audierat* = *sciebat.* —

Curt. VI., 11,20. *p. fama vulgaverat* = p. notum erat. — VII., 1,1. *p. desierat esse* = p. non jam erat. VIII., 2,1. *rex p. ira mente decesserat — perspexit* = p. ira aberat vel p. rex non jam erat iratus.

Tac. (cf. E. Hoffm. p. 37.) D. 22,9. *composuit — p. magis profecerat usuque et experimentis didicerat* = p. perfectior in dicendo et peritior erat. — 38,17. *p. — eloquentiam pacaverat* = p. eloquentia non jam vigebat. — H. I., 26,2.[42]) *p. vulgatum erat* = p. notum erat. — II., 68,10. *p. prociderat* = humi jacebat. — III., 47,4. *p. regnum in formam provinciae*

[41]) Sententia temporalis describit, qui fuerit status, quo tempore Carthaginienses et Cyrenenses inter se sponsionem fecerunt.

[42]) Fortasse hoc loco *vulgatum* propius accedit ad adjectivi quam ad participii naturam.

verterat = p. regnum formam provinciae habebat. 72,18. *p. flagraverat* = ruina jacebat. — IV., 3,14. *civilia arma, p. lustravcrant velut expiato terrarum orbe cepisse finem videbantur* = p. orbis terrarum armis civilibus jam lustratus et velut expiatus erat (E. Hoffm. p. 38.) — IV., 39,21. *p. animum impleverat* = p. animus plenus erat. — 62,16. *duplicatur* — *p.* — *se miscuerat* = intererat. V., 9,5. *p. in dicionem cesserant* = in dicione erant. — A. I., 1,12. *p. occiderant* = p. erant mortui „todt waren". — 49,6. *p. arma rapuerant* = in armis erant. II., 65,10. *p. intellexerat* = sciebat. IV., 45,5. *p. saltuosos locos attigerat* „nachdem er einmal erst im Walde war". VI., 8,6. *p. adeptus eram* = habebam. — 21,7. *p. commoverat* „als Nero sich in erregtem Zustande befand". — XII., 12,9. *p. advenerat* = aderat. — 15,1. *p. cognoverat* = sciebat. — 59,5. *p. revenerant* „nachdem sie zurück waren". XIII., 36,7. *p. advenerant pugnamque poscebant.* 44,22. *p. tribunatu abierat* = p. privatus erat. — 54,18. *p. audiverant.* — XIV., 49,1. *p. discessionem consul permiserat* = discedere per consulem licebat. — XIV., 37,2. *p. hostis* — *exhauserat* „so dass dieselben im Zustande der Erschöpfung waren". — 39,6. *p. Oceanum transmiserat* = trans Oceanum versabatur. XV., 15,13. *p. expleverat* 20,7. *p. censuerat:* (E. Hoffm. p. 38.) „nachdem er sein Votum abgegeben hatte und dieses dahin lautete". [26.]

Suet. Gramm. 11,31. *p. Tusculana villa creditoribus cesserat* = p. ipse non jam habebat. — **Flor.** 61,14. *p. frustra temptaverant* = p. se irrita facere cognitum habebant. — 64,25. *p. domuerat* = domitos habebat. 103,6. *p. idem esse coeperat*, und nun war'. (E. Hoffm. p. 39)

5. structurae minus usitatae.

Tac. A. III., 26,5. *postquam exui aequalitas et — incedebat: provenere.* (cf. E. Hoffm. p. 11. Nipperd. ad. A. II., 4.) — H. II., 72,9. *postqu. nulla dictis fides et a domino*

noscebatur — sumptum supplicium. Gerberus cum hunc locum (p. 7.) inter eos enumerat, qui exhibent perfectum, mente supplendum existimat *fuit.* Quod falsum mihi videtur: nam nemo, opinor, vertat „nachdem die Worte keine Glaubwürdigkeit gehabt hatten", sed „nachdem es offenbar war, dass sie keine Glaubwürdigkeit mehr hatten". Itaque sine dubio hic locus in eorum numero est, quibus status rei pingitur, atque Tacitus, si aliis verbis usus esset, dixisset: *postquam cognoverant* (atque jam sciebant) *nullam dictis fidem esse:* ergo supplenda est forma *erat.* — Idem valere puto de H. I., 22,12. (cf. E. Hoffm. p. 11. adn. 21.) — Paulo aliter res se habet A. XII., 35,10. *postquam facta testudine rudes et informes saxorum compages distractae parque comminus acies.* Prior enuntiati pars, *compages distractae* factum continent, altera *parque comminus acies* describit statum rerum post illud vel inde effectum. Quae cum ita sint, Tacitum plena oratione scripturum fuisse arbitror: *postqu. — distractae sunt atque hoc facto jam comminus acies par erat* cf. A. II., 82.

6) c. conj. plusqu.

Valer. V., 7, ext. 2. *postquam — conspexisset — non sustinuit.*

Tac. A. XII., 54. huc referre non audeo, quia, qui est sententiarum progressus paene pro certo potest haberi inter *postquam* et *obtemperatum esset* complura excidisse.

B. In oratione obliqua.

1) c. conj. perf.

Sall. Jug. 15,1. *Adherbalem — postquam superatus sit, queri.*

Curt. III., 8,10. *regem — p. senserit — delituisse.* — VIII., 1,41. *postquam — praeterierit — invisam esse proclamat.*

Tac. H. III., 13,20. V., 3,5. A. I., 9,13. XIV., 11,3. 58,8.

2) c. conj. plusqu.

Tac. A XIV., 52,9. *objiciebat — adsciscere et carmina crebrius factitare, postquam — venisset.*

3) c. indicat. plusqu.

Tac. A. IV., 10,11. *ea fraude captum senem, postquam convivium inierat, exceptum poculum Druso tradidisse.*

Posteaquam et postea — quam.

Sall. Cat. 2,2. *postea vero quam — coepere — tum demum — compertum.* Jug. 29,3. *postea vero quam — accepit — statuit.*

Just. 41,2,4. *posteaquam accessere opes, ut Medis perlucida ac fluida* (scil. *vestis fuit.)*

Post — quam.

Venio nunc ad tractandos eos locos, ubi *postquam* diremtum esse videtur sive interposito accusativo ex *post* pendenti, sive adjecto ablativo quem dicunt mensurae. Hic plerique grammatici, quin particulam *postquam* ante oculos haberent, omnino non dubitaverunt. Quod autem hoc in usu saepius invenitur, plusquamperfectum, positum esse dicunt, quia temporis spatium ex illo, quod indicatur, puncto praeterlapsum accuratius definiatur allato annorum (mensium, dierum) numero. Sed cum hoc dixerunt, statuerunt nimirum talibus locis plusquamperfectum saepius inveniri quam perfectum, sed cur tandem inveniatur, minime exposuerunt. De perfecto autem — nam hoc quoque extat — plerique omnino tacuerunt. Hanc quaestionem plane solvisse

mihi videtur E. Hoffmannus. (pp. 40—41.) Liceat mihi ipsius verba afferre: „Hier haben wir es eben nicht mehr mit der Conjunction postquam zu thun, die Ereignisse ohne Rücksicht auf den sie trennenden Zeitraum nur in der Aufeinanderfolge ihres Eintretens vergleicht; vielmehr handelt es sich hier um eine durch post nebst dessen Casus gegebene adverbielle Zeitbestimmung, für welche ein Satz mit quam ganz wie nach jedem anderen Comparativausdruck den Vergleichungspunkt, hier also den Anfangspunkt der Zeitrechnung für den in dem Casus gegebenen Zeitraum abgiebt. Ueber die Zeit dieses Satzes mit quam kann es dann keine anderen Bestimmungen geben, als die für die Zeitwahl überhaupt feststehenden, dass je nachdem der Anfangspunkt der Zeitrechnung für einen gegenwärtigen oder einen vergangenen Termin gegeben ist; das Perfectum oder Plusquamperfectum eintreten muss". — Quibus praemissis nihil obstat, quominus ea quae hujus usus inveni exempla, componam.

I. Ablativus mensurae post quam.

A. In oratione recta.

1) c. ind. perf.

Suet. Aug. 5,37. *aliquanto post quam excessit — constitutum.* Claud. 39,31. *paulo post quam decubuit — requisivit.*

2) c. ind. plusqu.

Curt. IV., 7,2. V., 6,19. IX., 6,3. *quarto post quam navigare coeperat, die pervenit.* X., 5,24. *quinto post quam mori statuerat, die extincta est.*

B. In oratione obliqua.

c. conjunct. plusqu.

Valer. I., 8, ext. 1. *biduo post quam inde sublatus esset — revivixisse.*

II. Post c. accusativo quam.

Omnia exempla habent orationem rectam.

1) c. ind. perf.

Vellei. I., 14,2. *post septem annos quam Galli urbem ceperunt — deducta colonia est.* —

Suet. Ner. 6,19. *Nero natus est Antii post novem menses quam Tiberius excessit.*

2) c. ind. plusqu.

Sall. Jug. 76,5. *post dies quadraginta quam eo ventum erat, potiti.* — 102,2. *post diem quintum quam pugnaverant, veniunt.*

Vellei. I., 8,4. *post duo et viginti annos quam prima constituta fuerat — condidit.* — I., 13,1. *eodem anno quo Carthago concidit, L. Mummius Corinthum post annos nongentos quinquaginta duos quam — erat condita, funditus eruit.* — II., 28,2. *(nam) proximus* (scil. *dictator creatus est) post annum quam Hannibal Italia excesserat* „der nächstvorhergehende (sic recte Kritzius) Dictator war im Amte ein Jahr nachdem Hannibal Italien verlassen hatte". — II., 44,4. *jus — restitutum* (scil. *est) post annos circiter centum quinquaginta duos quam reducta erat.* —

Ex exemplis Velleianis luculentissime apparet particulam postquam ab hoc usu toto coelo diversam esse.

Suet. Tit. 11,5. *excessit post biennium ac menses duos diesque viginti quam successerat.* —

Ex hoc indice perspicitur particula *postquam* omnes scriptores usos esse excepto Velleio Paterculo: is neque *postquam* neque *post quam* praemisso ablitivo mensurae habet, sed nihil nisi quinque locis *post — quam* interposito accusativo numeri cardinalis. —

§ 5.

Quoad.[43])

In tractanda hac particula neque de origine neque de constructione multa necesse est praefari. Omitto, quia per se liquet, compositam eam esse ex adverbio *quo* et praepositione *ad* enclitice adjuncta. Temporum autem modorumque usus cum *quoad* item ac *donec* et *dum* in duas abeat notiones „so lange bis“ et „so lange als“, iisdem circumscribitur legibus, quas in illis valere vidimus. Itaque statim accedo ad constituendam tabulam exemplorum.

I. **Quoad** = so lange als.

A. In oratione recta.

1) c. ind. fut.

Sall. Jug. 110,4. *quoad vives, nunquam tibi redditam gratiam putaveris.*

2) c. ind. praes.

Ex conjectura Dietschii: **Sall.** Jug. 110,7. *gerite quoad* (pro *quod) voltis bellum.*

3) c. ind. perf.

Valer. VII., 7,3. *quoad vixit, in matrimonio habuerat.*
Tac. A. IV., 61,3. *quoad vixit.* VI., 51,12. *quoad — fuit.*
Just. 15,2,5. *quoad — fuit.*

4) c. ind. plusqu.

Valer. IV., 3, ext. 3. *quoad voluerat — moratam.*

5) c. conjunctivo consilium agentis exprimenti.

Suet. Tib. 25,16. — **Just.** 30,1,5. *Trepidare igitur Ptolemaeus; legationibus missis, quoad vires pararet, morari Antiochum* („um inzwischen“ —)

[43]) Altera forma *quoad* haud ita raro etiam in optimis codicibus invenitur.

B. **In oratione obliqua.**

1) c. conj. praes.

Just. 1,6,6.

2) c. conj. perf.

Suet. Gramm. 20,26.

3) c. conj. impf.[44])

Valer. VI., 5,2. VII., 6,1. — **Just.** 7,2,3. *quoad conditae forent — mansurum.*

II. **Quoad** = bis.

A. **In oratione recta.**

1) c. ind. perf.

Sall. Jug. 41,9. — **Suet.** Caes. 14,29. Tib. 14,8. *usque eo fovit, quoad pullus — exclusus est.* Domit. 2,27. (cf. ea quae pp. 17. 18. dicta sunt.) 11,6. Gramm. 22,7. *usque eo arguere perseveravit, quoad — petiit.*

2) c. conj. impf.

consilium agentis exprimenti.

Suet. Caes. 20,29. Calig. 27,8. — **Just.** 18,5,9. 28,3,16. *tamdiu recusavit, quoad traherentur.*

3) c. conj. impf.

effecto relativa temporis definitione.

Just. 11,9,9. *tamdiu certamen anceps fuit, quoad fugeret Dareus.* — 12,9,11. *proelium tamdiu anceps fuit, quoad — veniret.* — 20,3,7. *tamdiu circumvolavit, quoad vincerent.*

[44]) Curt. IX., 10,3. *progressique quoad tuti possent* huc non pertinet, quia propter verbum *progressi* aptius est putare *quoad* hic de loco dictum esse. Quo probato statuendum est *quoad* temporali vi ornatum apud Curtium omnino non extare; idem valet de Velleio.

B. **In oratione obliqua.**

non nisi c. conj. impf.

Suet. Caes. 29,7. Calig. 38,18. — **Just.** 16,1,15. —

§ 6.

Quamdiu.

A. **In oratione recta.**

non nisi c. ind.

1) praes.

Curt. III., 1,5. *(Marsyas) quamdiu inter muros fluit, nomen suum retinet.*

2) fut.

Curt. IX., 2,25. *quamdiu vobiscum in acie stabo, nec mei nec hostium exercitus numero.*

3) perf.

Vellei. I., 6,3. *quamdiu Sparta — diligens fuit — floruit.*

Valer. VI., 5, ext. 1. *tamdiu illud imperium sustinuit, quamdiu bellum gerendum fuit.* — **Curt.** VI., 9,19. *quamdiu licuit, pressi.*

Just. 15,2,13. *tamdiu — abstinuerunt, quamdiu superesse potuerunt.* — 18,6,8. *quamdiu Carthago invicta fuit, pro dea culta est.*

4) plusqu.

Vellei. II., 80,2. *quamdiu moratus erat.* — **Curt.** VII., 4,20. *quamdiu cecideranf.*

B. In oratione obliqua.

non nisi c. conjunct.

1) impf.

Valer. VIII., 14,1.

2) plusqu.

Suet. Tib. 67,24. *similem se semper futurum nec unquam mutaturum mores suos, quamdiu sanae mentis fuisset:* melius *esset* vel *foret.*

Sallustius, Tacitus, Florus usu particulae *quamdiu* se abstinuerunt.

Vita.

Gustavus Guilelmus Otto Hoffmann Calbensis natus sum a. d. VIII cal. Sept. a. h. s. LVI. patre Joanne secretario judiciario, matre Augusta e gente Francke. Ille ante hos tres annos mortuus est, hanc gaudeo superstitem. Fidei ascriptus sum evangelicae. Postquam puer cum parentibus primum Stendaliam, deinde Neo-Haldenslebiam transmigravi, hujus urbis in schola rudimentis literarum imbutus sum. Deinde septem per annos gymnasii Seehusani alumnus fui, donec testimonio maturitatis instructus vere anni MDCCCLXXVI Halas me contuli, ut philologiae studiis operam darem. Auidivi per septies sex menses scholas Dittenbergeri, Geringii, Haymii, Heydemanni, Hilleri, Keilii, Krameri, Zacheri. Inter quos Keilius, Zacherus, Geringius ut societatibus suis interessem benigne mihi permiserunt. Seminarii philologici sodales fui per duo semestria. Viris illis doctissimis cum omnibus tum Keilio et Hillero optime de me meritis gratias ago quam maximas.

Typis Kraussianis, Neo-Haldenslebiae.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
475.9H67Q C001
QUAESTIONES GRAMMATICAE DE CONJUNCTIONUM
3 0112 105298878
3 0112 023606764